



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

De formarum multitudine in eodem corpore, ad tex. com. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

ex materia nõ producatur, sed accedat aliunde, pos-
sitque à corpore separari; difficultatem nimirum
adfert, tum eo ipso tempore, quo est in corpore;
tum eo maximè, quo separatur. Nam cum adue-
niat extrinsecus, potest fortasse cum multis simul
corporibus copulari: & dum ab aliquo incolumis
& superstes abit, quidni migrare possit ad aliud: &
& si non simul, successivè saltem fieri plurium cor-
porum actus?

Vidit quidem Plato in Timæo & Phædone, &
pluribus aliis in locis, eam plurium simul corpo-
rum actum esse non posse, sed in singulis singulas
esse oportere. Quam ob causam in Timæum Pro-
clus com. 1. Deos dixit *ἀθάνατος*. 1. sine determinatio-
ne sortiti corpora; animas verò *ἀθάνατος*. 1. cū de-
terminatione ad certa corpora; neque posse vnam
animam plura inhabitare corpora, vt Deus vrbes
plures. Non tamen propterea voluit eas multipli-
cari, quemadmodum corpora multiplicantur: sed
cū animas crederet corporibus esse antiquiores,
quod obtemperantibus illis essent imperatura;
æquique sit, vt iunius obtemperet antiquiori,
quàm contra: eas constituit multiplicari seipsis;
non per ordinem ad corpora, sed per suas proprias
subsistentias. Certo tamen & determinato nume-
ro. Et idè in diuersa migrare corpora: idque præ-
sertim ad purganda crimina atque delicta, quæ in
prioribus corporibus admisissent. Vnde apud Pla-
tonicos libri de animarum ascensu & descensu,
Neque in humana modò, sed bestiarum quoque
cōpora migrare affirmavit, vt in priorè corpore
gravius aliquid deliquissent. Sic enim loquitur in
Phædone. Eos, qui ventri, peculantia, gula dediti
vitam egerūt; neq; quidquā pensi pudorifque ha-
buerunt, decens est asinorum formas & eiusmodi
brutorum subire. Qui verò iniurias, tyrannides,
rapinas præ cæteris sequuti sunt, in luporum, acci-
pitrū, miluorum genera pareit per transire.
Abiunt enim in genera qualibet, quibus in vita
mores similes contraxerunt. Eadem ante Plato-
nem Pythagoræ fuit sententia quam in tex. 57. libri
1. fabulam Aristoteles appellauit: & nomie fabulo-
sum est quod de illo narrat Max. Tyrius in ser. 28.
quod in Palladis templum ingressus, clypeum ap-
pensum intuitus, clypeum dixit agnosco meum,
quem mihi interfector meus abstulit in Iliens
pugna? In eo autem scriptum erat, Menelaus
ab Euphorbo: in quo scilicet Pythagoræ antea
fuisset anima. Quanquam non desunt, qui Pytha-
goram dicant non hoc sensisse ita euenire; sed vt
homines à peccatis auocaret, eo modò fuisse lo-
quutum.

Inter Peripateticos celebris est Auerois opi-
nio, vnicum intellectum hominibus omnibus si-
mul assistere. Immo & recentiores aliqui vnicam
intelligentem animam omnium formantem for-
mam esse docuerunt.

Cæterum animarū illa migratio risu semper fuit
excepta potius, quàm rationibus confutata. Tri-
bus tamen potissimum argumentis reicitur. Pri-
mum, quia cū anima sit ea forma, quæ consti-
tuit, dat esse, & distinguit animata corpora; si ea-
dem sit plurium hominum anima, homines illi
nequaquam distinguerentur. Sed quemadmodum
vnam haberent formam, sic vnus & idem numero
essent homo. Præsertim cū voluerit Plato ani-
mam esse totam hominis essentiam & naturam,
cōpusque vehiculum animæ & instrumentum. Et

hæc quidem ratio naturæ principis nititur. Altera
certissimis Christianæ fidei nostræ decretis. Cū
enim certissima fide sciamus futuram aliquando
nostrorum corporum resurrectionem; qua redi-
bunt iidem homines, qui antea fuerunt: si vna fuis-
set diuersorum corporum, atque hominum anima;
nequaquam iidem homines resurgere possent. Sed
aut illi duntaxat reuiuiscerent, qui numerum il-
lum animarum exlerent: aut vt omnes resurge-
rent, creari nouas animas oporteret, quæ plurima
corpora occuparent. At nisi eandem habeant for-
mam & animam, non erunt iidem homines. Po-
stremò certum est, homines singulos animamque
vnamquamque post generalem illam corporum
resurrectionem condigna aut præmia aut suppli-
cia reportaturam; prout vna quæque gessit in cor-
pore, siue bona, siue mala. Iam si vna anima in cor-
poribus pluribus fuerit, atque in vno meruerit præ-
mium, in alio supplicium; quid tandem de anima
illa ab æquo iudice statueret?

In schola autem Peripatetica grauitè quidem
peccarunt illi omnes, qui vnum in cunctis homi-
nibus intellectum posuerunt: sed illi multò gra-
uius, qui formantem eum dixerunt. Etenim faci-
lius est, minusque cum ratione pugnant, vnam &
eadem assistentem formam corporibus pluribus
operationem tribuere, quàm formantem vnam
dare esse. Sed quoniam hoc ad eum locum perti-
net, in quo de intelligente anima disputandum
erit; obiter nunc lectorem monebo, longe aliam
Aristoteli fuisse sententiam. Vnam scilicet ani-
mam, seu formam; quæcunque illa sit, nec simul,
nec successivè posse esse nisi vnius corporis aut
materie actum. Nam in tex. 2. formam & animam
quamcunque scriptis esse id, per quod res est hoc
aliquid 1. substantia perfecta & indiuidua, quæ de-
monstrari possit. Et in tex. 7. rem vnamquamque
per actum maximè esse vnā. Tot igitur anima, quot
indiuidua. Quale in tex. 24. & 26. animam dicitur
esse actū determinati corporis. Quoniam actus &
potestas sunt relata; neque actus suscipitur nisi in
propria quapiā materia aptè ad eum suscipiendum
disposita. Vnaquæque igitur anima non nisi in vno
corpore disposito suscipi potest: siue ea educatur
ex materia, siue aliunde accedens cum ea coniun-
gatur. Quoniam vt ad educationem, sic ad vniōnem
certæ quædam dispositiones necessariae sunt. Ver-
rūm de hoc alibi pluribus. Nunc de iis, quæ omni
animæ communia sunt.

*Tertia Digressio Pars. De formarum multi-
tudine in eodem corpore.*

Est autem multò difficilior constitutere, an
quemadmodum vna anima non nisi vnius
corporis est actus; ita etiam in vno corpore non
nisi vna sit anima; an verò plures simul reperiantur.
Et quoniā vniuersa hæc disputatio de pluralitate
formarū in eodè composito perdifficilis est & ob-
scura; attingam ea omnia, quæ ad totum hoc caput
pertinent.

Fuerunt permulti & graues viri, qui nullo modo
feri posse crederēt, vt in eadè materia plures simul
inessent substantiæ formæ. Horū ferè princeps, S.
Thomas in opusculo 45. quod ad hanc sententiam
persuadendā conscripsit; & in opusculo 1. cap. 90.
91. & 92. & in 2. li. contra gētes ca. 58. & in disputa-
tis quæst. de Anima art. 9. & 11. & in prima parte

*Quid de
formarū
multi-
tudine
sentiant
alij.*

summa quaest. 76. art. 3. & 4. & in interpretatione
 tex. 13. prioris libri de ortu & interitu, & tex. 4. &
 huius 2. li. de anima. Accipiunt enim tanquam cer-
 tum, superiorem formam virtute continere inferiorem.
 Quia quod perfectior est forma, eodem magis est ens,
 magis una, magis ad operandum efficax. Ut una
 cum sit, plures possit facultates atque operationes
 exercere. Quare ut superior forma perfectior est,
 ita inferiorum omnium perfectiones materia tribuere,
 atque omnes operationes potest absolvere:
 ut quae in aliis pluribus dispersa, & diuisa reperiun-
 tur, in unica superiori vnica & in simplici entitate
 coniuncta continentur. Itaque dum ea coniungitur
 cum materia, dat quidem illi esse substantiale sim-
 plex: in eo tamen perfectiones plures continentur,
 quae propter dispositionum defectum non omni-
 bus semper materiae partibus diuiso modo dis-
 persionis interdum diuisa. Si. n. forme ille sunt inter
 se ordinate, ut eandem requirant dispositiones, et si
 paulo perfectiores: potest materia omnes illarum
 perfectiones suscipere, ut perfectionem elementi,
 misti, vegetantis, sentientis, intelligentis. Sin vero
 ordinate non sunt, sed diuersas prorsus dispositio-
 nes postulent; diuersis partibus diuerso modo dis-
 positis perfectiones diuersae tribuuntur; ut carnis,
 ossis, nervi, & aliarum similium partium. Sive ta-
 men in eodem, siue in diuersis materiae partibus
 omnes illae sint perfectiones, quae plurium videntur
 esse formarum; ad vnica & eandem formam
 reuocantur. Ita illi de formarum pluralitate, seu
 potius vnitate philosophati sunt. Quam ob cau-
 sam, dum anima definitur esse actus corporis, eam
 interpretati sunt esse actum corporis potestate, non
 actu; in formis inquam materiae. Possent tamen dici
 actum corporis actu; quia dum format, prius dat
 corporis, quam viuens & animati perfectionem.
 Sic enim dum animati perfectio corporis perfe-
 ctioni aduenit, verè dici potest anima esse actus
 corporis actu.

Reliqui omnes in eadem substantia composita
 plures agnouerunt formas. Et quidem Auicenna
 in cap. 2. lib. sufficienti duas omnino posuit; for-
 mam corporis generalem, quae à materia numquam
 separatur; & alteram singularium specierum propriam
 & separabilem. Quod ex antiquioribus quoque
 nostris Theologis sensere complures; qui in prima
 mundi molitione Deum dixerunt rudem materia
 primum creasse, extitisseque aliquandiu velut om-
 nium elementorum Chaos, deinde singula fuisse
 distincta.

Sed praeter illas in corporibus mistis formas
 quatuor elementorum integras & perfectas addi-
 dit Auicenna. Quam sententiam ab Auerroë confu-
 tatam legimus in commentario 67. lib. 3. de caelo. Et
 quamuis apud Auicennam nullibi, quod sciam,
 apertis verbis reperiatur, ex plurimis tamen locis
 colligitur: quemadmodum ex primo libro sufficien-
 tiae cap. 10. & ex prima Fen primi libri canonis do-
 ctrina tertia cap. 1. & ex tractatu 1. li. 2. cap. 1. & ex
 libro de medicamentis cordis tractatu 1. sub finem
 primi capituli, & ex prima parte canticorum tracta-
 tu 1. cap. de Hominum complexionibus, & ex lib.
 11. de animalibus cap. 2. Quam ob causam & Vgo
 Senensis, & Iacobus Foroluiensis, aliique eius in-
 terpretes eam tanquam auctoris sententiam ab
 Auerrois argumentationibus vindicare conati sunt.

Scotus vero in 4. li. sententiarum dist. 11. quaest. 3. &
 qui eum sequenti sunt, elementa negantes in mistis

esse actu, duas formas in specie completas afferue-
 runt in eodem composito esse non posse: sed vnica
 in mistis inanimitas esse missionis formam; in vi-
 uentibus autem praeter vnica in singulari animam
 plures reperiri missionis formas singularium corpo-
 ris partium proprias; formas inquam carnis, ossis,
 nervi, & ceterarum similium partium: & praeter
 eas omnes aliam quandam communem, quae & eas
 omnes contineat, & viuenti corpori adferat vnica-
 tem. Hanc missionis, corporeitatis, organizationis
 formam appellarunt.

Henricus quidem certè in Quodlibeto 2. art. 2.
 & Quodlib. 4. art. 13. in aliis omnibus vnica con-
 cessit esse formam, quae alias virtute contineat: sed
 duas in homine omnino inesse contendit; intelli-
 gentem animam, & corporeitatis seu missionis
 formam. Diuersarum enim, inquit, mutationum
 diuersos oportet esse terminos: Quare cum in ho-
 minis productione duae cernantur mutationes,
 creatio, & ortus; vt anima est creationis terminus,
 sic ortus terminum aliam necesse est esse formam.

Guilielmus quoque Ochamus in Quodlibeto
 2. quaest. 2. duas in homine formas posuit, intelli-
 gentem animam, & sentientem. Propterea quod
 sentiens intelligenti contraria est; nec altera po-
 test virtute in altera contineri, quod earum altera
 materialis sit & mortalis, altera immaterialis &
 immortalis.

Peripatetici porro in eo primum consenserunt,
 vt in quolibet inanimato multo praeter propriam il-
 lius formam quatuor esse voluerint fractas & tem-
 peratas elementorum formas. Deinde de viuenti-
 bus ita philosophati sunt, vt missionis formas sin-
 gularium corporis partium proprias posuerint:
 tum animam tanquam totius corporis actum, qui
 speciem adferat. Sed vnica aliqui in singulari ani-
 mam, alij duas in homine, sentientem, & intelli-
 gentem; seu cogitatem & intelligentem, alij solam
 in plantis vegetantem, in bestis vegetantem &
 sentientem, in homine vegetantem, sentientem,
 intelligentem, vt omnino animas ita Philopon-
 us sentire visus est in pœmio ad hos libros: et si
 post in com. tex. 91. lib. 1. tres hasce animas velut
 vntus partes in vnica coniungi voluerit. Quod
 Simplicius quoque docuit in com. tex. 91. & 94.
 eiusdem libri, & com. tex. 40. libri 3. Alij demum
 ex recentioribus in plantis duas; vegetantem, qua
 viuunt, & alteram determinatam speciei, qua sit la-
 tuca aut quercus specie à ceteris distincta. In be-
 stis autem & homine tres; vegetantem, qua sit vi-
 uens; sentientem, qua animal; & equinam aut ca-
 ninam, qua sit equus aut canis specie à ceteris di-
 uersus; & in homine intelligentem, qua homo.
 Quam sententiam acceperunt illi à Landuno. Is enim
 in quaestione 8. li. 7. phys. & quaest. 10. li. 2. Metaph.
 non in viuentibus solum plures animas esse vo-
 luit; sed & in qualibet re composita tot substantiarum
 formas re distinctas, quot sunt attributa essentialia
 synonyma & per se primo modo; vt in homine esse
 substantiam, corpus, viuens, sentiens, intelligens.
 Auctor est Henricus, multos id suo tempore ten-
 sisse, affirmasseque ex illis omnibus formis heri vnica
 compositum per se; aut propter ordinem, quem
 omnes habent ad vnica vltimam formam, velut
 omnium absolutam perfectionem; aut propter
 mutuum illarum omnium nexum: quemadmodum
 animalis corpus, quod pluribus partibus constat,
 propter illarum omnium coniunctionem est vnica
 Itaque

Itaque ex his omnibus manifestum est, solis exceptis Thomistis reliquos omnes multitudinem formarum approbasse, & verò necessariam esse iudicasse: animamque constituisse actum corporis actu, non potestatem.

Sed quoniam in difficili prorsus loco versamur, antequam meum iudicium interponam, operæ pretium fuerit paulisper subsistere. Vt quoniam propter animas & viuientia potissimum tota hæc disputatio suscepta est; quibus tandem rationibus concludi possit, tres animas esse in homine, videamus. Inde enim de cæteris iudicabitur.

Tres animas esse in homine quoniam de ipse datur.

Est locus apud Arist. in 2. lib. de animalium ortu

cap. 3. in quo is exponens naturæ ordinem in hu-

mani fatus formatione omnino affirmat, prius in illo

produci vegetantem animam, mox tempore

precedente sentientem, tum demum intelligentem. Non enim, inquit, simul esse animal & homo.

Qua oratione manifestè tres animas tanquam distinctas formas produci testatur. Quod ex gra-

ui sanè Medicorum iudicio confirmatur. Affir-

mant enim illi, non simul, sed temporibus diuersis illas produci: optimeque cognoscunt, quando in abortu plantanimum perit, quando animal, quando homo. Immo Aristoteles ipse inter intelligentem animam & reliquas hoc voluit interesse: quòd hæc virtute seminis ex materia potestate educantur, illa forinsecus adueniat. Accedit multiplex ratio. Etenim homo non minus habet virtutem seminis, qua possit quidpiam sibi simile procreare; quam habeant viuientia cætera. Nisi igitur virtus illa sit frustra, formam quampiam producit, qua filius patri sit similis. Quare præter intelligentem animam alia quampiam producit, in qua similitudo versetur. Alioqui dum gignitur homo, nulla substantia gigneretur. Præfuit enim materia, intelligens anima extrinsecus accedit à solo Deo creata, totum coniunctum nullam rem significat à partibus suis diuersam, qua substantialis ortus terminus esse queat: vno demum partium accidens est, aut etiam relatio. Si quid igitur gignatur, aliquam oportet esse substantiæ formam ab intelligente anima distinctam, qua constituatur homo: quæque in hominis morte pereat, vt hæc ipsa sit verè interitus. Tum verò vt est in tex. 31. ita sunt animæ ordinata, vt superior sine inferiore nequeat esse. Quare nec sentiens in bestiis sine vegetante, neque in homine intelligens erit sine vtraque. Illud etiam magnum habet momentum, quòd essentialia attributa, & contradictoria ab vna & eadem forma nequeunt proficisci. Intelligenti autem animæ & reliquis attributa contradictoria conueniunt, vt esse materiale & immateriale, impartibile & partibile, immortale & mortale, non pendere & pendere à corpore. Vt illud, quod est in textu 26. lib. 10. Metaph. corruptibile & incorruptibile differunt genere, cum eo consentiat optimè, quod de intelligente anima dicitur in tex. 21. eam esse aliud genus animæ solamque posse separari tanquam perpetuum à mortali. Accedunt operationes, quæ ad inuestigandam formam naturali philosopho certissimum præbent Argumentum. Eæ namque ita produunt formas, vt quemadmodum ex operatione absolute aliqua forma colligitur, sit ex multiplici & diuersa operandi ratione multiplex & diuersa forma concludi possit. Itaque cum in homine varia prorsus cernatur operationum genera; nec intelligen-

tiuum modo, sed sentientium quoque, & vegetantium: & quidem perfectissima; nil aliud ex illis concludet naturalis philosophus, quam tres illas adesse animas operationum illarum principia. Nam quod inquit plerique, inesse in homine superius quidpiam, quod inferiora virtute contineat, atque ab illo omnes illas operationes fieri: hoc ipsum est, quod in quaestione versatur; num omnes ab vna forma proficisci queant, an verò plures eas esse oporteat. Quare si operationes sunt argumentum formæ, plures potius ex illis re ipsa distincta concludentur; cum non minus perfectæ in homine viuantur vegetantis animæ & sentientis

operationes, quam in viuentibus cæteris, in quibus seorsim ea reperiuntur à propria forma profectæ. Huc spectat pugna illa sensus & rationis, sentientis appetitus & voluntatis; quam singulis propemodum momentis in nobis ipsis experimur. Vnde enim ea proueniat, nisi ex animarum multitudine, quarum altera sensu, altera ratione viuimus? Hoc argumentum sumptum est ex Platone in 4. lib. de Rep. & eo etiam vsus est Galenus in lib. 1. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 7. vt illas animæ partes diuersas esse demonstraret. Est etiam de ipso esse humano difficultas. Quoniam homo est formaliter sentiens & vegetans, neque formalis effectus sine formali causa esse potest. Hæc enim sola causa ne à Deo quidem suppleri potest. At per intelligentem animam homo non fit formaliter nisi intelligens; quia vna simplex forma non potest formaliter dare nisi suum proprium esse. Formaliter igitur debet homo cum intelligente sentientem quoque habere & vegetantem animam. Adde intelligentis animæ immortalitatem. Nam dum hæc à corpore separatur, separantur quoque cæteræ; si idem re essent cum illa. At cum ea nullam habeant sibi propriam operationem, quam sine corporis organo promere possint, frustra nimirum essent sic à corpore separata. Et verò de nutritione, accretione, & decretionem non est leuis difficultas. Vix enim quomodo fiant exponi potest; nisi præter intelligentem aliqua ponatur forma, quæ in accedente & recedente materia gigni possit & interire. Neque præmittenda est sensio; quæ cum organica sit operatio, non in sola anima, sed in toto coniuncto est vt in subiecto. Quare præter intelligentem ponere oportet sentientem animam, in qua simul cum materia coniuncta cognitiones ea suscipiantur, quæ in sola intelligente inextensa & abstracta suscipi nequeunt. Hæc & his similia sunt ea, quæ plures animas re distinctas in eodem viuente, atque adeo tres in homine persuadere videntur. Superest vt quid ipse sentiam, tandem aperiam.

Vniuersum hoc disputationis caput, quod est de formarum multitudine, vt in scholis est celeberrimum, atque in vniuersa philosophia maximè necessarium; ita diligenter & accuratè explicandum. Habet autem tres partes. Prima ad mixta inanima pertinet: altera ad animatorum corpora: tertia ad animas. De mixtis inanimis verè licet affirmare, eos, qui quatuor elementorum formas in illis actu inesse negarunt, cum tota antiquitate pugnas. Quamuis enim Peripatetici alio quodam modo ostenderent, ea in mixtis manere, quam antiquiores tradidissent; actu tamen remanere, tum eorum qualitates, tum substantias, confirmarunt. Antiquiores illi, vt ex Arist.

Formas elementorum fractas inesse actu in mixtis.

Et

potest intelligi in prioribus lib. de ortu & interitu, & in 1. de Philosophorum placitis confirmat Plutarchus, sola qualitatibus mutacione misceri elementa voluerunt. Tresque omnino inter illos fuisse de mixtione sententias, auctor est Plotinus in libro, cui titulum fecit, de permixtione per tota. Aliqui corporum in minimas partes diuisorum substantias substantiis & qualitatibus qualitates apponebant. Ita Democritus, Leucippus, & Epicurus, vt Alexander testatur, solum atomorum corpusculorum concursum & proximum situm mixtionem esse asseriebant. Hæc non nisi ad sensum fuit mixtio. Alij substantias admovebant substantiis, & qualitates agendo & patiendando permiscebant. Quæ Empedoclis videtur fuisse sententia; qui elementorum substantias, vt apud Arist. in 3. lib. de celo legimus, haud posse vicissim mutari credit. Hi qualitatibus mixtionem fecerunt, substantiarum iuxta positionem & mixtionem ad sensum. Ac demum Chrysippus & Stoici ea, quæ continebantur, corpora absque vlla diuisione ita sese vicissim permeare atque per omnes partes penetrare voluerunt, vt tota perfundantur in tota, nec eorum vllum sit à cæteris loco & situ distinctum; sed omnia simul absque vlla vel minima substantia, aut qualitatibus iactura. Ita visus est Plotinus quoque sentire; cum corpora conatus est demonstrare, tum mole, tum qualitatibus, commiseri corporibus.

Sed tribus argumentis conuincitur. Primum, quod quantitas, quæ extensionem & partes extra partes significat, penetrationem omnino non permittit, quod vna quantitas occupet locum aliudque repellat corpus. Deinde, quod si tota elementa perfunderentur per tota, nihil maius ex elementis omnibus fieret, quam esset vnus illorum quantitas. Postremò, quod non omnia elementa tantundem quantitatis ad mixtionem adferant, sed ferè minimum ignis, & terra plurimum. Quomodo igitur vnus exigua quantitas alterius multò maiori coextendi potest & peruadere totum?

Hippocratem non desuerunt qui affirmarent eandem habuisse sententiam, quam antea dictum est Auicennam fuisse. Sed aperta oratione Galenus sub finem prioris libri de elementis, & in primo de naturalibus facultatibus cap. 2. & primo de medendi methodo cap. 2. eum scripsit qualitatibus mixtionem docuisse: an verò elementa solis qualitatibus temperentur, an etiam substantiis; neque Hippocratem pronuntiasse, neque opus esse medicum scire, cui satis sit qualitatibus temperatura.

Magnus quidem certè Albertus eam apertis verbis sequutus est in tract. 2. lib. 2. physic. cap. 1. & tract. 2. lib. 3. de celo cap. 1. & 8. & tract. 6. lib. prioris de ortu & interitu cap. 5. immò, quod magis mirum videatur, Aueroem quoque idem sensisse contendit, solisque verbis Auicennæ contradixisse, cum elementa dixit diminuto actu, non integro, remanere. Sed duabus omnino rebus eos dissentisse, apertissima Auerois verba testantur. Primum, quod Auicenna solas qualitates miscere vellet, non substantias; Aueroes & qualitatibus, & substantiarum mixtionem poneret. Deinde, quod elementorum formas ille negaret vllà ex parte interite, quod magis & minus non suscipiant; hic & suscipere magis & minus, & partem corrumpi,

partemque alteram remanere contenderet. Tum verò accedunt argumenta, quibus aduersus Auicennam pugnauit in commentario 67. lib. 3. de celo. Argumentatur enim mixtum non fore verè & per se vnum, quod formam vnã non haberet nec actum vnum, sed quandam plurium congeriem formarum in vnum confluentium. Deinde si formæ, & qualitates quoque integre remanerent; siquidem qualitates comitantur formas; aut si formarum perfectio sine aliquo qualitatibus gradu potest consistere, posset & sine omnibus: at quomodo sine calore & siccitate sit ignis? Potuissent etiam argumentari, mixtionem solum accidentium futuram, substantiarum iuxta positionem. Mixtum non fore totum homogeneum, neque partem illius quamlibet mixtam, neque ex qualibet elementa omnia separatim iri. Non omnem substantiam ortum alterius fore interitum. Fore in mixto quinque esse determinatas species; elementaria quatuor, & quintam mixti propriam. Operationes demum elementorum omnes minus vehementes minusque perfectas apparere in mixtis, quam in elementis cernantur; & cum in plurimis summa vigeat densitas, frigidique vehementissimum, qui potest in eis intelligi forma ignis actiue perfecta?

Ergò qui integra profus elementa conseruari voluerunt, nimium à natura postularunt: contra, qui penitus interire dixerunt, parum omnino neutri mixtionis vim & naturam assequuti fuerunt. Inter hos media fuit Aristotelis & Peripateticorum sententia. Nam etsi Latinorum permixti proprium Auerois commentum fuisse dicunt; quod elementorum, tum qualitates, tum substantia formas, nec omnino integras & illas ex mixtione enadere, neque in ea profus occumbere; sed debilitatas, fractas, & ad mediocritatem redactas asseruari voluit. Vera tamen, & germana fuit antiquiorum Peripateticorum sententia. In cuius explicatione contra aduersariorum caltra Platonem in prima acie collocabo, in media Græcos Arist. interpretes, in postrema Aristotelem ipsum firmissimis, ac necessariis argumentis instructum.

Eandem enim fuisse Platonis opinionem in Timæo, existimo ego cum Calcidio, Marfilioque Ficino, & aliis pluribus, quidquid dicit Sebastianus Foxius. Nam in Phædone sunt hæc apertissima verba. Quid est in corpore, propter quod, calescit? Nō dabo rudem illam responsum, quia est calor: sed exquisitum, quia est ignis.

Ex Græcis autem Aristotelis interpretibus apud Alexandrum & Philoponum, qui hæc de re ex instituto scripserunt, nihil propemodum apertius. Alexander in 2. lib. naturalium quæst. cap. 24. interpretacionem faciens tex. 2. huius 2. libri de anima; In simplicibus, inquit, & primis corporibus nullo modo materia est hoc aliquid; cum prima & propria materia his propriè subiciatur: sed in corporibus compositis; quia his non amplius subicitur proximè prima & propriè materia, sed ipsorum materia sunt his subiecta corpora elementaria erit quidem horum materia hoc aliquid. Non tamen quod ex illis est genitum, esse hoc, quod est, habet à materia & illius forma; sed à forma, quæ genita est ex certa quadam compositione, & mixtione subiectorum corporum. Quo loco apertissimè ponit elementorum formas, quæ simul cum

eorum materia in mistis permaneant; nec tamen illis dent speciem, sed locum teneant materiae, mistaque ab alia forma in missione producta suam speciem accipere. Rursum in libro de missione habet haec verba. Corpora, quae temperantur, alterum ab altero pati necesse est, propterea quod neutrum eorum perit; quoniam vtrumque, dum patitur, agit quoque ex altera parte. Et aliquando post. Aliud est generatio & corruptio, & aliud Crasis. Crasis quippe rerum quarundam, quae conferuntur, mistio esse videtur. Neque enim si alterum corruptum fuerit, & impotentius migraverit, est Crasis; sed huius corruptio, illius verò accretio est. Quocirca nec alimentum temperari dicitur cum eo, quod alitur; neque si vtraque corrupta fuerint ea, quae miscentur, amplius est Crasis. Nam Crasis est quorundam, quae seruantur, mistio. Quod dum pluribus persequitur, tunc fieri missionem constituit, quando elementa viribus penè aequalibus agendo & patiendi eatenus progrediuntur, donec corruptis contrarietatum excellentiis in vnam, eandemque materiam coeant. Et iterum post pauca. Agendo, inquit, & patiendi prius desinunt posse agere, quam penitus superentur. Atque id est Crasis. Est enim intercedere actioe & affectione corporum iuxta se inuicem postiorum per transmutationem, citraque corruptionem vitio. Ac demum exponens quomodo elementa rursum ex misto separantur, separationem hanc similem esse negat eorum segregationi, quae in vnum congesta solum erant: neque item ortui, quo fiat quidpiam, cum antea non esset: sed mutationem inter vtramque mediam, quam appellat perfectionem, quia partim praeterant elementa, partim de nouo sunt, mutanturque in perfectionem, qua agendo & patiendi fuerant defraudata. Et ideo dici posse quodammodo affirmat inesse in misto potestate; quoniam non integro egent ortu, sed exigua ope ac mutatione ad naturam suam & actum perfectum redeunt. Idem Alexander eandem sententiam confirmat in ultimo commentario in 7. lib. Metaph. Nam quia materia & forma nunquam fuit eadem res, neque in carne affirmat idem esse terram & ignem, carnisque formam. Dissoluta enim carne ignis & terra supersunt, caro non item. In carne igitur actu sunt elementa. Alioqui, si virtute solum inessent, vt isti Latini dicunt, contra potius res haberet. Elementa, inquam, & forma carnis, aut cuiusvis misti, res eadem essent. Ac demum exponens tex. 4. li. 5. metaph. cum elementum multis modis dicatur, planis verbis admonet, cunctis quidem elementis id esse commune, vt cuique primum insit; sed elementa proprie dicta inesse vt subiectum, quod pars rei efficitur.

Philoponus in com. ad tex. 82. prioris libri de ortu & interitu, aggrediens de missione dicere, hoc ponit velut consequentis totius disputationis principium; ea, quae miscentur, esse omnino oportere; non penitus interire, sed conseruari; non actu, quod admodum antea erant, sed quodam modo potestate; sicut vinum & aqua temperata; quoniam debilitata sunt; sinceraque vtriusque actio, quae ante missionem fuerat, impeditur. Et in com. ad tex. 84. Non, inquit, mista essent, si mero actu essent, ac nihil prorsus mutarentur. Sed aut dicit separari posse, quae mista sunt; quia planè speciem suam non amiserunt, sed inquirantur tantum. Et ideo instrumentis quibusdam ad immutandum, aut se-

cernendum comparatis ad pristinam speciem re-ducantur. Quomodo aqua percolata separatur a vino. Aut quod talia sint, qualia existere (quod in se est) seorsim rursum possint, si quis segregandi ea vim adferat. Et paucis interpolitis. Ita in mistis insunt elementa facultate, vt non eorum materia tantum, sed formae etiam insint, quanquam castigatae. Eoque facultate esse dicuntur; quia sincere non sunt, nec quales fuerant ante temperationem. Et rursum exponens textum 89. Cum pares, inquit, sunt quodam modo facultates, vincunt se mutuo quodam modo vtraque; nec tamè alterum planè interimit alterum, sed excessum tantum castigat. Ita totum commune quiddam fit eorum, quae miscentur, seruaturque in miscella vtrunque facultate, eo modo, quo diximus. Quod in commentario quoque tex. 90. habet, dum missionis definitionem enarrat. Et exponens tex. 46. posterioris libri, cum multis verbis persequutus esset, quomodo in missione partim intereant, partim aseruentur elementa, sintque in misto impura (totidem enim sunt Philoponi verba) non pura, quemadmodum antea: & ideo dici potestate; ad perfectionem scilicet & puritatem pristinam; non simpliciter ad formam; tandem haec adiunxit, Compositum verò, etsi meram ignis non habet speciem, habet tamè eam castigatam: nec totum illud ignis est merus, sed ignis moderatior factus. Quod in tota textus 48. commentatione persequitur. Mistum, inquit, quendam habere elementorum speciem, etsi eorum sinceritas perit, castigataque sunt. Excessibus enim & extremis viribus castigatis medium quiddam fit. Eoque rem deducit, vt Aristotelem ex elementis solo excessu castigato; eos verò, qui elementa omnino perire affirmant (quod nostri Latini faciunt) non ex elementis, sed ex nuda materia ostendat corpora mista componere. Et his quidem in locis ex instituto Philoponi missionis naturam exposuit. In com. autem ad tex. 77. huius 2. libri de anima, cur argentum, aes, & huiusmodi metalla sint bene sonora; eam docuit esse causam, quod multus sit in illis aer dissemnatus. Quod non ad qualitates referri potest, sed ad solam substantiam & naturam huius elementi propriam.

Ex aliis autem interpretibus Graecis tam apertas quidem & explicatas sententias non habemus; quod aut ipsi de missione seorsim non scripserint, aut in libros de ortu & interitu, in quibus de ea tractant Arist. non ediderint commentaria, aut haec certè ad nostra tempora non peruenerint. Aliqua tamen apud illos quoque interdum legimus. Cuius generis illud est apud Pselum in tex. 31. lib. 2. Physic. mista corpora ex elementis constare tanquam ex inhaerentibus & existentibus; sicut syllabae ex litteris, totum ex suis partibus, & ex propositionibus ratiocinatio. Et apud Themistium & Simplicium eodem loco; elementa mistorum esse materiam, tum alterationis, tum compositionis: iisque inesse, quae ex illis sunt; sicut & prima materia se habet comparationè ipsorum simplicium corporum. Et in textu 42. libri 3. Oportet, inquit vterque, aequari elementa, & esse viribus aequalia, si modo conseruanda sunt. Idem Themistius capite 3. huius secundi libri de Anima, plures proponit modos, quibus res componantur ex iis, quae insint, & in illis conseruentur; atque inter eos est is, de quo nunc agimus.

Multò autem apertius Simplicius in commentario 19. ad tex. 30. & 11. lib. 3. de cælo, elementa scribit dici prima in existentium in generabilibus corporibus; quoniam & accidentia insunt ipsis, sed non prima. Quis autem non videat hæc inesse actui; & nisi elementa quoque actu insint, nullam fore dubitationem? Et paulò post id, quod est in elementi definitione (elementum esse in mistis, aut actu, aut potestate) ita interpretatur, vt actus significet actum perfectum, quem Empedocles & Anaxagoras posuerant, mistionem appellantes forsam elementorum congregationem: potestas autem actum imperfectum & castigatum, qui post mutuam alterationem, & non corruptionem relinquitur. Vtro enim modo insint, in libris de ortu & interitu exponendum erat, vbi de mistionis natura differeretur. Quocirca in commentario 30. id, quod est in tex. 32. elementa inesse potestate; de hoc actu refracto ita explicat, vt ea ab inuicem coalterata dicantur esse potestate, quòd rursus separari queant: quemadmodum Theophrasti testimonio ex oculis hominis segregatur flamma, & Megetij Alexandrini Medici narratione ab Ischia dici viri Ischio exiuit aliquando ignis. Et tandem hoc interesse docet inter elementorum ex mistis segregationem, mistorumque ex elementis generationem: quòd simplicia quidem, quæ ex compositione gignuntur, inexistebant ipsis; composita verò sunt ex simplicibus, non tamen iam insunt ipsis.

Quæ omnia eo diligentius colligere, atque hic adscribere placuit; vt intelligeret lector, quam fuerit veterum Peripateticorum sententia, quamque immeritò ex Latinis nonnulli primum illius auctorem faciant Aueroem; cum ante illum copiosioribus multò & apertioribus verbis fuerit à Græcis interpretibus explicata. Neque verò reprehensionis notam magno opere verebor, si plura prætermittens vnum illud hoc loco recensero, quod est apud S. Augustinum in libro ad Orosium contra Priscillianistas, & Origenistas cap. 8. Non solum enim particulas aliquas elementorum omnium temperatas in corporibus nostris inesse affirmat; sed ita etiam interpretatur S. Pauli verba in Epist. ad Rom. ca. 8. vt Omnis planè creatura, vel ipsa etiam elementa, in gemiscat & doleat, reuelationem filiorum Dei, nostrorumque corporum resurrectionem expectans; vt nobiscum resurgens ab omni aliquando corruptione liberetur.

Aristoteles.

Primum Argumentum.

Verum enimerò eandem sententiam Aristoteles non solum plurimis in locis asseruit, sed multiplices etiam argumentorum genere confirmavit, vt omnino dubitem, num sit quidquam in eius schola magis certum, magisque confirmatum. Primum fuit illud, quòd elementa sunt mistionis, mistorumque materia: non alterationis modò, sed & compositionis. Materia autem, siue eam spectes quatenus principium est & pars, siue quatenus causa illius rei, quæ ex ipsa fit; principium est & causa intrinseca; quæ seipsam exhibendo suscipit formam, atque cum ea cõiuncta compositam substantiam constituit. Propterea in primo Physicorum libro hoc nomine materia à priuatione, subiectum à termino à quo, distinxit; quòd priuatio & terminus à quo in mutatione pellitur, & (si de non ente ita loqui fas est) interit; subiectum & materia persistit semper incolumis, & potius susceptione formæ perficitur, substantiamque componit. Itaq;

A in tex. 82. eiusdem, & tex. 28. 2. libri eam definiuit esse id, ex quo fit aliquid ita, vt insit. Quod postremum verbum propterea fuisse additum, Philoponus, Simplicius, & Psellus adnotarunt; vt materia distingueretur à Priuatione, ex qua res item fit, sed non ita, vt in illis remaneat; & manifestant exempla, quæ ab Arist. adferuntur, æris, & argenti, quæ ita sunt statuar phialæ, & id genus artificiorum materia, vt actu in illis insint. Primam materiam certum est in primis elementaribus corporibus, quæ ex illa statim oriuntur, actu manere, quandiu illa sunt: & quidem cum illis ipsis qualitatibus, quæ itaqum dispositiones ad producendâ formam necessariz fuerunt. In viuientibus item corpus organicum animæ subiectum & materia, organicum semper est, quandiu adest anima, illiusque dissolutione abit anima. Si igitur elementa mistorum materia sunt, in his quoque actu illa manere oportet. Alioqui non elementa, sed sola prima materia, vt simplicium, ita & mistorum corporum esset materia: aut non minùs, quam elementa, vnum mistum alterius materia diceretur; dum qualitatium temperatione mutata vnum ex alio gignitur. Id aliam ob causam non dicimus, sed elementa duntaxat nisi quòd illud non remanet actu, hæc remanent.

Ita in tex. 31. eiusdem 1. libri physicorum elementa ad materialem mistorum causam reuocantur, sicut litteræ sunt materia syllabæ, & artificiorum materia, & pars totius, & ratiocinationis propositiones. Quæ omnia sunt eorum exempla, quæ ad insunt. Et postremis verbis li. 7. metaph. elementum definiuit esse id, in quod inexistens diuiditur vt materiam; sicut syllaba (A B) diuiditur in (A) & (B) quæ in ipsa existunt vt materia. Quibus ita dadas definitionem, quæ habetur in tex. 31. lib. 3. de cælo, & in tex. 10. lib. 3. metaph. & tex. 4. lib. 5. omnia penitus consentient cum definitione materiae in tex. 82. lib. 1. Phys. proposita. Totidem. n. verbis elementum esse id affirmavit, ex quo inexistente mista corpora sunt, & in quod dissoluantur.

D Quo loco monere libet lectorem, voces illas existentia & inexistencia magno opere in hoc controversia genere considerandas esse. Nil enim aliud profectò significant, quàm esse aut alteri inesse actu. Ex hoc potèd veluti certissimo principio, elementa esse mistorum materiam, plurima deriuantur, quæ passim apud Arist. accuratus & diligens lector obseruabit: quibus aut apertè dixit, aut certè supposuit, ea in mistis esse actu. Nã in libro Categoriarum cap. de his, quæ sunt ad aliquid, animal dixit ex igne, aqua, & cæteris elementis constare. In tex. 41. lib. 3. phys. nullum esse corpus mistum infinitum, quia elementa sunt finita; nec elementum vllum infinitum esse posse, quoniam corruptum peret cætera, nullumque fieret mistum. In tex. 1. lib. 1. de cælo, natura constantium hæc quidem sunt corpora & magnitudines, hæc autem corpus habent & magnitudinem, hæc verò principia eorum, quæ habent, sunt. Corpora interpretantur Simplicius & Auer. Elementa, habentia corpus mista. In tex. 7. quædam esse corpora simplicia, quædam ex his composita: nec solum hoc loco, sed in aliis propemodum innumerabilibus, dum ex elementis mista dicuntur composita (ex generalissimo materiae compositionis cõditione) elementa actu in illis remanere significantur. Rursum in eodem loco & tex. 8. & 11. composita moueri ab elemento, quod in simplicium mistione dominatur. Et

Et tex. 97. extra celum non posse vltim esse corpus mistum; quoniam cum necesse sit simplicia esse existente misto; vbi non sunt simplicia, nec mistum esse potest. In tex. 37. lib. 2. eiusdem operis, senectutem, decretionem, alioque his similes corporis defectus, atque imbecillitates eam ob causam in mistis oriri, quia constant ex elementis; quæ cum violenter sint extra proprium locum & ad eum nitantur, dissolutionem adferunt misto. Sane si actu non sunt, quomodo violenter sunt? Quomodo nituntur ad propria loca redire? Cuius enim manifestum est, id, quod non sit, nullum habere appetitum, nullam naturæ propensionem, nullum conatum, aut impetum. In tex. 67. & 68. li. 3. elementa nullam propriam habere figuram; tum quia cum sint materia mistorum, materia per se considerata informis est, & omnis expers figuræ: tum quia ad quamlibet misti figuram suscipiendam accommodare sese debent. In cap. vlt. lib. 4. meteor. ita diuersas formas disponit, vt inferiores materia superiorum sint: elementa, inquam, materia mistorum, & hæc materia viuientium: formæque media, & sint formæ comparatione inferiorum, & materia, comparatione superiorum. In tex. 39. huius 2. lib. de Anima, cum Empedocles viuientium accretionem ab igne & terra, quæ sunt in eorum corporibus, deriuaret: nequaquam id reprehendit Philosophus, quod ipse quoque elementa esse actu in corporibus mistis crederet: quod tamen si confutasset, confecisset omnino, eam non esse accretionis causam: quin illud potius confirmauit; cum in corporibus animatis animam inesse oportere ostendit, quæ vnita & colligata contineat elementa, ne distrahantur, neque ad propria loca discedant. Et in tex. 52. propterea dubitauit, cur cum in organo sensus insint ignis, ær, aqua, & terra; nequaquam ab ipso sensu sentiantur. Nisi enim essent actu, nulla profecto dubitatio. Quemadmodum nec argumentatio illa in cap. 18. libri r. de animalium procreatione; si semen ex omnibus animalis partibus decideretur, ex partibus quoque eterogeneis, & omogeneis, atque ad eos elementis ipsis decideretur, ex quibus partes illæ omnes coagmentantur. Verum hæc satis pro hac primâ argumentatione; quæ ex eo, quod elementa sunt mistorum materia, confecit Philosophus, ita tum qualitatibus, tum substantia in ipsis actu remanere.

Argumentum. Altera argumentatio fuit ex mistionis natura, quam in priori præsertim libro de ortu, & interitu diligenter explicauit. Nam cum in tex. 82. dubitationem antiquorum aduersus mistionem proposuisset; statim in tex. 83. mistionem ab ortu & interitu separauit; atque ad eod. miscibile ab eo, quod oriri potest & interire. In ortu enim quidpiã producit alterius interitu, in mistione nequaquam. Et ideo lignum negauit misceri cum igne, quando comburitur; nec alimentum cum viuento, dum in eius substantiam mutatur. Quoniam in mutationibus hæc, dum vnum gignitur, alterum omni ex parte perit; etsi nobilior interdum accedat forma, vt in nutritione anima. Eandem ob causam magna cum paruis coniuncta mistionem facere negauit in tex. 88. neque vini guttam cum decem millibus congiis aquæ; quoniam perit vinum, & in aquam mutatur. Propterea in tex. 89. nullum elementum debere alterum magnopere superare monuit: nec ea, quæ facile, & multum patiuntur, bene cum iis misceri, quæ multum agunt: quoniam illa pe-

reunt, & hæc gignuntur: in mistione autem ex iis omnibus, quæ miscentur, fieri oportet medium aliquid & commune. Nimirum aliqua eorum parte asseruata & cum cæteris permista. Ab alteratione quoque distingui voluit: quod in alteratione, tum subiectum, tum qualitas, omni ex parte manet integra; quæ verò miscentur, & qualitatatum, & naturæ aliquid amittunt. Quo loco non obscure, sed aperte docet, elementa nec omnino in mistione perire, sicut in ortu: nec integra prorsus & illæsa manere, quemadmodum in alteratione: sed cum eadem ipsa elementa & oriuntur, & alterentur, & miscantur; has omnes mutationes in illis distinguendas esse. Neque solum antiquos illos in natura mistionis peccasse, qui eam ab alteratione non distinxerunt: sed posteriores quoque Latinos, qui ab ortu & interitu minimè separauerunt. Itaque in tex. 84. elementa constituit nec esse in misto integra & perfecta, vt in se ipsis erant ante mistionem; & vt in alteratione corpus & album, dum albescit, neutra ex parte quidquam amittit: nec omnino perire, siue omnia, siue illorum aliquid; quemadmodum cum ex lignis fit ignis; aut cibo nutritur viuens: non enim esset mistio; sed aut alteratio, aut ortus vnus cum plurius aut alterius interitu. Verum quodammodo remanere actu, quodammodo potestate: actu, quoniam ex illis quidpiã genitum est, quod mistum esse dicitur: potestate, quia vtriusque eorum, quæ erant antequam miscerentur, & non deper-

Quo loco si abutantur aduersarij, perperam omnino agunt. Non solum enim negat Philosophus id, quod ipsi affirmant, elementa omni ex parte perire: verum etiam aliquid eorum remanere affirmat: non virtute contentum in forma misti, vt inquit illi; sed illud ipsum, quod erat ante mistionem, absque interitu, aut in aliud mutatione. Sed quoniam in tex. 48. posterioris libri hoc ipsum magis declarauit, ad eum locum aduersarios prouocò. Principio ponit calidum & frigidum, humidum & siccum; hoc est ipsamet elementa (tum quia concretis vtitur vocibus; tum quia qualitates hæc antea posuerat formalia illorum principia; tum demum quia in eo ipso textu perinde dixerat calidum & frigidum, aut ignem & aquam) suscipere magis & minus. Quorsum id, nisi vt eorum in mistione refractionem inde colligeret? Deinde eandem actus & potestatis distinctionem subiungit, quam in priori libro posuerat. Potest enim quidpiã dici potestate ad aliquem actum, aut quod nullam illius partem habeat, sed totum possit suscipere; aut quod etsi aliquam habeat partem, careat altera, quam alioqui habere possit. Prior potestas omnino sincera est; pertinetque ad ortum; posterior admixtum habet contrarium actum; atque ex ea constat permistio; dum contrarie & pugnantibus formæ corruptis actione mutua excellentiis suis, fracto inquam, & diminuto supremo & perfectissimo gradu, ita vicissim permiscantur, vt nec sit sola materia cum forma misti (esset enim prior illa potestas ad integras elementorum formas) nec ambo contraria actu simpliciter; quoniam nulla superesset potestas, si materia integros & perfectos habere actus: sed medium quidpiã inter illa, quod in textu 89. prioris libri dixerat vtrique esse commune. Ita ex alia, atque alia contrarium

Potestas duplex ad actum.

illorum, seu elementorum permissione, quatenus A
vnu magis aut minus intentum fuerit, alia atq; alia
existunt mistorū genera: in illisque potestate ele-
menta; non sicut materia dicitur esse potestate ad
formam, cuius nullā habeat partem; sed secundum
prædictum modum, quod id, quod aliquam habet
formæ partem, affirmatur esse potestate ad partem
alteram, qua caret. Ex priori enim potestatis gene-
re constat ortus, ex posteriori permissio. Quam ob
causam postremò adiungit, permissionem nullam
fieri, si elementum quodpiam magnopere superet
reliqua; sed ortum, atque interitum: in missione
autem proportionē quadam elementorum omni-
um opus esse, vt nullum eorum possit alterum B
omni ex parte destruere.

Quorsum tam diligens, & acurata explicatio,
nisi ad elementa in mistis retinenda? ostendendum-
que, quomodo nec integra maneant, nec penitus
aboleantur; sed actione mutua frangantur, & tem-
perantur. Non enim extinctionem illam & corru-
ptelā ex sola nature dispositione, naturalive cōse-
quutione propter superioris formæ aduētum, quā
nuper isti Latini excogitarunt, admisit vnquam
Aristoteles. Quin potius in tex. 63. lib. 8. phys. sic
absurdum iudicauit existimare, moliri quidpiam
naturam, quod statim velit demoliri. Ita sanè ab-
surdissimum esset opinari, eam in conciliandis, at-
que ad proportionem & concordiam reducendis,
& vt par est temperandis hęc elementorum for-
mis tandiu laborasse; si conciliatas & temperatas
erat statim destructura, proportionemque, & con-
cordiam illam admirabilem dissolutura. Adduci
nunquam potuit, vt naturam crederet tam inconsul-
to ac temerè operari, vt aggrederetur quidpiam,
quod diuturnum ac firmum esse non deberet.

Verum ad priorem librum est redeundum; duo-
que in eo loca consideranda, quæ ad hoc ipsum ar-
gumentationis caput pertinent. Alter locus est in
tex. 87. & 86. in quibus magnopere laborauit, vt
inueniret modum, quo ita miscerentur elementa, vt
quælibet pars misti sit mista, totumque mistum
homogeneum. At inanis & superuacaneus fuisset
labor; nisi ea voluisset actu & secundum substantiam
ita manere, vt in singulis particulis essent omnia.
Nam si sola misti superesset forma, sanè quocumque
modo antea diuisa fuissent & coniuncta elementa;
totum mistum homogeneum esset, & quælibet il-
lius pars mista: quippe illius forma tota est eiusdē
naturæ, perque vniuersam materiam illius sparsa,
& eius particula quælibet formas elementorum
omnes virtute contineret.

Alter locus est in tex. 90. vbi primum miscibilia,
inquit, non necesse est corrupta esse, vbi fuerint F
mista; neque possunt eadem simpliciter esse, & in
actu perfectò & integro, sicut antea. Deinde mi-
stionis definitionem colligit; Mistio est miscibi-
lium alteratorum vnio. Si vnio & cōplexus, adesse
oportet ea, quæ vniantur ac sese complectantur.
Vnio enim & complexus formaliter relationem si-
gnificant inter ea, quæ vnita sunt, ac sese comple-
ctentia. Si miscibilium alteratorū, ergo non omni
ex parte corruptorum; sed castigorum duntaxat, &
tēperatorum. Nā cum tribus modis cogitari pos-
set fieri mistio; aut ex elemētis omnino corruptis;
aut ex iis nulla parte lesis; aut medio modo affectis;
& diminutis solum, non penitus abolitis; Aristote-
les duobus prioribus modis reiectis retinuit tertiu;
totamque missionis definitionem ex eorum, quæ

misceri debent, conditionibus, atq; ex distinctione
missionis ab ortu, atq; alteratione inuestigauit &
collegit. Quocirca in tex. 47. posterioris libri mis-
sionem, quam proposuerat Empedocles, non ideo
reprehendit, quod elementa poneret actu in mi-
stis; sed quod in ea quælibet pars misti non esset
mista; cum in qualibet non poneret elementa om-
nia. Quod si iudicasset ipse, ne actu quidem ea per-
manere; cur illud quæso non maximè reprehendit,
tanquam totius erroris fundamentum?

Tertia argumentatio fuit in tex. 84. prioris lib. 1. de
de ortu & interitu, vbi nō solum ex natura mistio-
nis conficit, elemēta nec omnino manere integra,
nec penitus extingui: sed etiā posteriorē hanc con-
clusionis partē necessaria rationatione cōcluit.
Quoniā dum mistum dissoluitur, separantur rus-
sum elementa, existuntque singula separata, quem-
admodum antequam miscerentur. Videntur. n. in-
quit, ea, quæ miscentur prius ex separatis conue-
nientia, & possibile separari rursus. Quam causā
argumentationē in tex. quoq; 33. li. 3. de celo legi-
mus. Nā vt probaret dari corpora, quæ ex elemen-
tis eonstēt, adhuc modum ratiocinatur. Dum mi-
sta corpora dissoluantur, separantur ex illis elemē-
ta; præerant igitur in illis. Si quidē in ea dissoluitur
vnum quodque, ex quibus cōstat, 3. Metaph. tex. 11.
& 1. Phys. tex. 65. & li. 3. tex. 45. quo item postremo
loco ostendit, non dari quintum elementum; quo-
niam quatuor solum ex mistis separantur.

Scio, eos, qui contra sentiant, respondere, non
eadē numero, quæ conueniant, separari; sed alia
eiusdem speciei tunc primum produci. At incantē
respondent. Primum, quoniam aperta sunt priorē
illa verba, quibus illa ipsa, quæ cum essent separa-
ta, fuerunt permista, dissolui rursus & separari af-
firmatur. Non. n. separari, sed gigni & produci di-
cuntur ea, quæ non sunt; ea verò separari affirmat-
ur, quæ actu præerant vnita & permista. Neque si-
ne causa & (rursus) dixit Arist. & antithese illa vnus
est, qua elementorū separatorū missioni cōtrariet-
mistorū repetitam separationē opposuit. Deinde
cum illi propositū esset probare, elementa non pe-
nitus extingui, dū miscētur nisi eadē numero, quæ
conueniant, separarentur rursus, nihil omnino
probasset; inepteque profus argumentatus fuisset.
Nam si omni ex parte intereant; quorsum non in-
terire probetur ex eo effectu; quo separantur rus-
sum? Sanè, vt missionem aliud esse voluit, quæ ele-
mentorū interitum, mistique ortum; sic etiam se-
parationē missioni oppositā existimauit aliam esse
mutationem quam interitum misti, atque elemē-
torum ortum. Alioqui virgeret adhuc antiquiorum
dubitatio in tex. 82. proposita; Si elementa in mis-
sione perierūt & rursus soluta missione de nouo
gignuntur, nequaquā fuisset missionē, neque post-
se separationē; sed ortum, atque interitū. Ex eo igitur
ducta est Philosophi ratiocinatio, quod vt an-
tea, cum essent separata, conueniant, atque vnita
in misto fuerunt; ita postquam vnita sunt & per-
mista, dissoluantur iterum; atque in pristinum
statum separata redeant. Eadem igitur numero
esse voluit, quæ & primum conueniant, &
rursus separantur. Quod & nomen ipsum con-
firmat: nam vt vnio est rerum disiunctarum co-
pulatione, sic separatio præexistentium, & vnita-
rum rerum, non productionem, sed disiunctionem
significat. Alioqui non minus ex aere quam ex
misto, separari aquam diceremus; dum ex aere fit
aqua

aqua eiusdem speciei cum illa, ex qua genitus fuerat aer. Quod si ita esset, nullum ex hac separatione sumi posset argumentum ad ostendendam missionem; si tum ex elementis, tum ex mistis, separarentur elementa, aut verius gignerentur.

At à quoniam noua illa elementa producantur; siue enim combustione, siue putredine dissoluatur mistum (si enim duo mistorum proprii interitus modi sunt in 4. Meteororum lib.) omnino non est à quo produci queant. Nam si ab igne comburatur lignum, non nisi ignem producit ignis: vnde igitur terra, & elementa cetera, quibus contrarius potius est ignis? A misti forma, in qua, vt ipsi dicunt, virtute continebantur, produci nequeunt. Tum quia non est illis similis; & eorum potius interitum procurauit, vt ipsa produceretur. Tum quia si destruitur ipsa, & perit, qui possit alia producere? Verius dicerentur elementa quoque cum illa corrumpi, si virtute in ea continerentur. Caelum iuuat quidem, vt generalis effectuum omnium efficiens causa: sed specialem nunc causam querimus, quae materiam saltem praearet, generalemque illam actionem determinet. Si in putredine mistum dissoluatur, eadem est difficultas. Siquidem putredo ab aeris ambientis calore efficitur. Vnde igitur terra & elementa reliqua? Quod si illorum forma in misto actu inesse dicatur, facillimum erit separare. Nam quidquid illud fuerit, quod mistum dissoluet, separare verè affirmabitur. Deinde etsi omnes illae formae per omnes materiae partes sint ubique sparfae; aliae tamen sunt particulae, quae aeris formam retineant; aliae quae ignis, ac ceterorum elementorum: dumque soluitur temperatura, vniuntur omnes, seseque in propriam naturam & perfectiohem restitunt. Non enim erant ubique aquae fractae; sed in quibusdam partibus minus, quam in aliis; & quae, quae minorem iacturam fecerant, dum in eas agunt, quae minus fuerant debilitate, totius elementi perfectionem promouent. Itaque aut elementa integra separantur, aut aliquid certè imperfectum, quod perfectam mox naturam recuperet: quod aut accedente exteriori agente intendatur, aut se ipsum in integrum statum restituat, aut cum aliis eiusdem formae gradibus copulatum perfectam consequatur naturam. Quapropter quoad illam quidem partem, quae in misto praeerat, eadem numero, quae ad missionem venerant, separantur; atque hoc ab ortu magno opere differt haec separatio. At quoad alteram partem, quam recuperant, ea sanè non est eadem numero, quam amiserant; quoniam idem numero, quod semel perit, naturae viribus redire nequit: sed eiusdem solum speciei. Hocque distinguitur haec separatio ab illa, quae est ex sola aliquorum congregatione, absque mutatione villae; vt granorum tritici; aut hordei ex acerno. Absolutè tamen eadem numero dicenda sunt: quoniam prior pars satis est ad vnitatem elemento toti tribuendam; sicut idem numero viuens toto nutritionis tempore dicitur, etsi partes subinde mutantur.

Quarta Argumentatio fuit in eodem tex. 84. elementa. n. non omnino perire, sed aliquam eorum securari partem, tum ex misti dissolutione probauit, tum ex operatione. Sanè apud Naturales Philosophos in aliis huiusmodi difficultatibus, in quibus de formarum existentia queritur, magni semper momenti fuit ratiocinandi haec forma. Etenim

A cum ex operatione fuerit semper intestigata & cognita forma, vt ex effectu causa; in mistis operationes omnes elementorum cernuntur, calefactio, refrigeratio, humectatio, siccatio, ac demum is motus, qui simplex est & rectus, sursum, aut deorsum. Oportet igitur existimare elementarium corporum formas, quae propria sunt harum operationum principia & causa; nequaquam in missione peritisse; sed in corporibus mistis conseruatas operari. Neque permanet igitur actu, inquit Philosophus, vt corpus & album; neque corrumpuntur, neque alteri, neque ambo; saluatur. n. virtus eorum; hoc est operatio, quae index est formae. Ideo haec relinquuntur, addit idem Philosophus, nimirum tantquam nota. Nam sensu cognoscitur operatio, ex qua manifestum est ipsorum quoque adesse formas.

Itaque nisi vniuersa philosophia in dubium vocanda sit, nouaque disputatio instituenda, num ex operationibus liceat formas colligere; fateri cogimur adesse ibi elementorum formas, vbi adit operatio. Neque enim responderi potest, illam à misti forma proficisci, quod ea elementorum formas virtute contineat; quoniam operatio haec tota debilior est multo & imperfectior in mistis, quam in simplicibus elementis esset: contra quam euenire oportebat. Quippe superior virtus, quae inferiorem contineat, vt nobilior est & perfectior, sic nobiliori & perfectiori modo operatur. Quod tum in artibus videre est, tum in natura; in superioribus causis efficientibus & inferioribus; atque adeo in animabus ipsis; in quibus ea, quae superior est, perfectius multo eadem illa praestat, quae inferioris erant propria. Quamquam non praetermittam dicere, virtutis hanc continentiam nequaquam in missione locum habere posse. Sed vt admittatur in iis, quae in eodem genere considerantur, & inter se ordinantur; vt in agentibus particularibus & generalibus, & in tribus illis formis, Vegetante, Sentiente, Intelligente, quae in genere actus & formae considerantur omnes; à formis tamen elementorum & mistorum reijcienda est. Quoniam nec vnus elementi forma ad alteram ordinatur, nec omnes simul ad formam misti tanquam actus & formae inferiores ad superiorem; sed sicut materia, materiaeque dispositiones ad formam; Materiam autem, materiaeque dispositiones quis dicat in forma contineri virtute, aut hac adueniente fore otiosas, si cum illa perisistant incoluntur?

Quinta argumentatio fuit in tex. 49. posterioris libri eiusdem operis. Misti. n. perfecta ex elementis omnibus coponi & consistere demonstrat: quoniam terram adesse oportet, quod gignatur & versentur in terra; naturaliterque degat vnumquodque in loco illius elementi, quod in ipso ceteris dominatur: adesse oportet aquam, tum vt terra figurat & terminum habeat; aqua. n. que humorem habet viscidum maxime, adhaerescens & efficit, inter elementa omnia maxime potest terminare: tum vt mistum sit consistens partibusque omnibus copulatum. Alioqui terra, si sola esset, diffunderet vtique; sicut puluis, aut cinis: Aqua humore tenaci copulat & coniungit. Iam si terra & aqua adsint, aërem item & ignem adesse necesse est; vt ab elementis contrariis priora illa duo refrangantur, atque ad necessariam misti mediocritatem adducantur.

Genus hoc argumenti adeo apertum est & necessarium, vt elementarium formarum eueriores nihil omnino habere possint, quod respondeant.

Nam non solum mista dixit Philosophus esse ex simplicibus omnibus composita; in qua compositione, ut in alia quavis, adesse actu oportet componentes partes: alioqui mistum non magis physice esset compositum in substantia, quam elementum: neque erat, cur mista, seu composita simplicibus corporibus opponeret. Non solum in terra, & elementa reliqua inesse affirmavit, & inexistere in misto: quas voces inexistentiam actu significare, antea adnotatum est. Verum etiam si ab aqua figurare oportet ac terminari terram, partesque illius sic copulari; utramque actu adesse oportet. Alioqui nec verendum, ne arida terra diffusetur: quoniam id, quod non est, neque diffuere potest, neque copulatione indiget. Deinde non licet hoc loco ad qualitates confugere. Quia cum diceret, ubi sunt terra & aqua, adesse quoque debere duo reliqua elementa contraria: quoniam contrarietas proprie qualitatum est; & ideo id fortasse de qualitatibus intelligi potuisset: ut ostenderet, se de substantiis omnino esse loquutum, easque probasse debere in mistis corporibus inesse; adiecit illa verba (ut contingit substantie substantiam contrariam esse.

6. Argu-
mentū.

Sexta argumentatio fuit in tex. 50. eiusdem libri. Ex eisdem namque nutrimur, ex quibus constat: at ex quatuor elementis nutrimur permittis scilicet & temperatis (nihil enim est, quod vno simplici sustentetur; siquidem vel planta, quae sola aqua nutri videtur, pluribus tamen nutriuntur; aqua scilicet permista cum terra: immo peritiores agricolae simum admiscunt, in quo propter calorem aliquid ignis & aeris esse videtur; & intelligi potest ex halitu, quem emitit. In quibus sane mistionibus, terra inquam, aquae, & simi manifestum est elementa esse actu.) Si igitur ex elementis nutrimur, ex illis quoque constat.

His omnibus in locis hactenus commemoratis non solum Aristoteles hanc sententiam docuit, elementa non omni ex parte interire in mistione, sed fracta & castigata in mistis corporibus asseruari: verum etiam pluribus argumentis demonstravit. Ut omnino mirandum sit, potuisse in mentem venire Galeno, ut sub finem prioris libri de elementis, & in commentario primo in Hippocratis lib. de Natura humana, particula secunda, & in primo libro de methodo medendi cap. 2. eum affirmaret existimasse, solis qualitatis, non item substantiis elementorum, constare mistionem.

7. Argu-
mentū.

Libet autem Aristotelis hae argumentationibus omni sane pondere grauioribus pauca haec subiungere. In quolibet misto certum est elementum aliquid caeteris dominari, ut fieri non potest, ut quamuis periret caetera, illud saltem omnino pereat. Tum quia in illud potius, tanquam robustius, oporteret caetera commutari. Tum quia nihil adest, a quo possit interfui. Non enim a caeteris, elementis contrariis, quod haec imbecilliora sint, & ab illo potius corrumpantur. Neque a forma misti; quoniam haec illi contraria non est; quin elementa potius desiderat, tanquam necessariam sibi materiam, in qua tum produci, tum conseruari debeat. Quod si elementum illud non perit, nec reliqua perire possunt. Siquidem nil aliud est, a quo interimantur, nisi dominans illud, quod in suam naturam illa commutat. At si futura sit mistio, non oportet illud tantopere viribus caetera superare: quoniam mistio non esset, sed vnius ortus

cum aliorum interitu. Tuncque solum fit mistio, cum etiam aliquis sit excessus, tantus tamen non est, ut caetera debellantur prorsus & fugantur.

Hoc ita se habere, nullamque cogitari posse corporum illorum corruptentem causam, vel ipsa aduersario rum confessione certissimum est. Namque propterea illi, quod nullam huiusmodi causam proferre queant, ad eam corruptionem confugiunt, quam naturali solum confectione fieri volunt. Quamque inanem prorsus esse & absque ratione cogitatum, alibi satis demonstratum. Neque enim locum habet, nisi in eo entium genere, quae nec per se producuntur, nec per se cohaerere in natura possunt. Cuius generis sunt proprietates & accidentia quavis, quae perentur subiecto consistere nequeunt. At de elementis, entibusque perfectis, quae & per se producuntur, & in hac rerum vniuersitate subsistunt; immerito (sapientes alioqui Philosophi) ita pronuntiant.

Verum ad alia transeamus. Respondeant, si placeat, an non mista corpora sunt actu & re ipsa mista & composita in substantia magis, quam sint elementa? An non a simplicibus propterea distinguuntur, & speciem naturalis corporis, hoc est substantiae ex materia & forma compositae, distinctam, immo dum corpus in simplex & mistum diuidimus, illi quoque oppositam, constituunt? Hoc si nobis concesserint, quod nullo modo negari potest; concedant etiam id, quod est consequens; in illis non qualitates modo esse actu, sed & substantias elementorum, ex quibus illorum substantia mista sit & composita. Nam si ea mista esse responderint, atque ex elementis composita, virtute solum in ipsorum forma contentis: Viderint in omni compositione materiam, eiusque dispositiones actu, ut saepe dictum est, inesse oportere in re composita; & quidem seorsim ab ea forma, quae illis aduenit: dum illi virtutalem nescio quam materiam imaginantur, eamque cum forma completam totam, & confusam. Intelligant etiam, ea ratione fore, ut homo compositus dici possit & mistus ex pane, carne, oleribus, caeterisque obolentis, quibus vescutur: siquidem & eorum virtutes complures in mistis corporibus conseruantur, atque in illorum forma virtute continentur. Immo vni vnius misti formam alterius materiam appellari posse; quod formam habeat, quae illam virtute continet. Animaduertant praeterea, corpus mistum non minus vere esse mistum & compositum, quam corpus simplex sit simplex: & ut corpus simplex & elementare materiam actu habet & formam, ita mistum substantiam elementorum postulare eodemque modo vtriusque in partes componentes, quae actu insint, dissolui. Nam si elementa virtute solum inessent, mistio quidem esset, aut compositio virtualis, vera tamen, realis, & actu non esset. Quemadmodum nec realis adesset relatio inter compositionis partes, quod ex re distincta non essent. Neque magis esset actu compositum mistum quam elementorum, si vtriusque forma eum in informi materia immediate copularetur. Illud etiam consideret, mistionem illam ex formis virtute contentis physicam non esse, sed metaphysicam potius. Quae soli quoque, qui virtute dicitur inferiores formas continere; aut intelligenti animae, quae vegetantem, & sentientem; immo & simplicem corpori, quod substantiae corporis, & talis corporis gradum complectitur, attribui eodem iure possent. Quod

Quod si mixta corpora sint physice in substantia magis composita, quam sint haec omnia, quae commemorauimus, necessarium profecto est aliquid aliud physicum reipsa in illorum substantia contineri. Quoniam quod ad qualitates attinet, ex accidentariam temperaturam faciunt, substantiae mixtionem non faciunt. Immo ut accidentaria temperatura quatuor illis qualitatibus actu constat, sic substantiae mixtionem quatuor elementorum substantias actu continere oportet.

Denique haud ego quidem satis video, quomodo mixtionem illi ab ortu, nisi accidentati propter antecedentem dispositionem, separant. Quod antiqui nequaquam negabant. Quibus Aristoteles magnopere voluit essentiali distinctionem persuadere: eamque ob causam diuersam item vtriusque definitionem exposuit. Si. n. Elementorum substantiae penitus extinguantur, vt ortus, ita mixtio tribus illis simplicibus ortus principis essentialiter constituetur, prima materia, priuatione, & forma quae producitur. Ortusque definitio in tex. 23. prioris lib. de ortu & interitu explicata, ortui & mixtioni synonyme conueniret. Neque fuisset opus aliam in tex. 90. mixtionis definitionem proponere. Haec qui attentè considerauerit, probeque perceperit, intelliget planè eam, quam dixi, non Arist. modò, sed veritatis & naturae fuisse de mixtione sententiam.

Quae verò aduersus eam ab aduersariis proponuntur, ad duo capita pertinent. Altero conantur ostendere, elementorum formas impartibiles esse, neque remitti posse, aut frangi. Altero directè agunt aduersus rationem mixtionis propositam. Prioris generis argumenta ad alium locum pertinent, in quo de elementis agitur. Nunc ea, quae posteriori continentur, tanquam huius disputationis propria, satis fuerit explicare. Agunt auctoritate, ratione, & sensu. Aristoteles. n. in tex. 32. lib. 1. de caelo apertis verbis scripsit, Elementa in mixtis inesse potestate, & in tex. 84. lib. 1. de ortu & interitu, eorum virtute remanere; hoc est qualitates, quae illorum virtute operantur: aut formam mixti, quae virtute omnia continet. Sic. n. interpretantur illi. & in tex. 89. omnia mutari in dominans, hoc est informam mixti superiorem. & in tex. 48. posterioris libri, perire elementorum excellentias, hoc est substantiales formas. & in cap. 1. lib. 2. de partibus animal. mixta non tam ex elementis, quam ex elementorum virtutibus constare.

Auctoritatem confirmant rationibus. Tum quia plures formae simul esse non possint, vt nec plura corpora in eodem loco. Tum quia formae illae frustra post aduentum superioris remanent. Tum quia elementorum formae sunt, terminus à quo mixtionis, nullique forma terminus ad quem; terminusque prior abiicitur, dum posterior accedit. Subiectum item ortus non esset ens potestate, neque mixtum ens per se; si eius formae enti ab elementorum formis actu constituto adueniret. Ortus vnus non esset alterius interitus, neque mutatio totius in totum; si cum forma mixti elementorum quoque formae conseruaretur. Elementa minime naturaliter, immò cum summa vi, essent in mixtis; cum & contraria sint, & opposita loca instigante natura desiderent. Quae libet pars mixti non esset mixta; prohibente, scilicet propria singulorum elementorum quantitate, ne vbique omnia simul inessent. In vno, eodemque composito

A plures contingerentur substantiae; vt plures forent substantiae formae, quarum singulae compositum subsistens facerent. Eadem materia pars quatuor haberet raritates & densitates, aut certe simul rara esset & densa; cum singulae haec formae raritatem propriam, aut densitatem postulent. Mixtu non solum non esset vnus, sed etiam in pluribus & diuersis speciebus; singulis nimirum elementorum formis materiam in propria specie constituentibus. Fieret interdum, vt duo in eodem mixto dominarentur Elementa, vnum motrice, alterum alteratrice qualitate. In carne enim si prius qualitarum genus spectetur, dominatur terra; quia est corpus graue: at si posterius quaratur, quia calida & humida, ignis praevalet & aer.

His omnibus sensuum iudicium subiungunt. Nūquam enim sensus iudicabit ignem actu esse in digito, aut piscibus, qui vitam omnem in aquis degunt; aut in frigidissimo lapide. Neque aliud item Elementum. Ita conficiunt sapientes philosophi, elementorum formas substantiales actu & formaliter nequaquam in mixtis remanere; sed potestate & virtute; aut nobiliori videlicet modo in forma mixti contentae: aut propter qualitates superfuites; quae non modò vt accidentia quaequam considerantur, sed tanquam propriae elementorum virtutes, & velut pereuntium formarum vicaria ad operandum: aut demum propter operationes, quae eadem in mixto cernuntur.

Verum haec omnia non magno labore explicantur. Dixit sanè interdum Philosophus, potestate, non actu, inesse. Sed cur ita loquutus, quae illis verbis subiecta sententia sit; docui satis ex Alexandri, Philoponi & Simplicij interpretatione. Actum enim illum negauit, quem integrum, perfectum, & distinctum ante mixtionem habebant; quemque in ea ipsa conseruari antiqui censuerant. Maluit dici potestate; non quòd omnino non sint; sed quòd consula cum sint & parte mutilata, potestate sunt, tum vt rursus separantur (sic enim ipsemet interpretatus est in tex. 33. lib. 3. de caelo) tum vt pristinam perfectionem & integritatem recuperent, vt exposuit in tex. 84. prioris lib. & tex. 48. posterioris de ortu & interitu. Eodem intellectu de organo tactus loquitur in tex. 117. huius 2. lib. de anima; vbi illud affirmat potestate debere continere qualitates tactiles. Quia nimirum remissas & temperatas esse oportet. Alioquin actu inesse manifestum est; quoniam calidum & frigidum, humidum & siccum in omnibus in sunt corporibus.

Fuit & alia ratio, cur potestate potius, quam actu, inesse pronuntiauerit. Non enim sunt in mixto tanquam species quae priam & corpora per se, sed materiae vim habent; materia autem potestas est. Et quamuis formae partem retineant, ea tamen ipsa non dat materia suum actum distinctum ac specie, vt antea dabat; sed est velut dispositio materiae ad mixti formam suscipiendam. Immo quia ex materia & forma non fit vnus per se, nisi quia materia est potestas, forma actus; Elementa, quae sunt vt materia, dicere oportuit esse potestate, non actu; vt ostenderetur, etsi partem aliquam actus & formae retineant, ex illis tamen & accedente forma mixti quidpiam vnus per se effici. Sicut etiam, etsi prima materia sit actu ens & substantia, comparatione tamen formae potestas, non actus, appellatur.

Auerroës quoque in 7. metaph. commentario 43. superiores differentias dixit potestate esse in specie;

Cur potestate inesse dicatur.

solam ultimā esse actū. Quod exposuit in cōmentario 43. genus addens in specie non esse actū, sed potestatem; quia est vt materia. Et in 8. lib. cōmentario 6. genericas differentias esse potestatem, quia sunt vt materia. Vt enim materia determinatur & contrahitur à forma, ita & genus, genericæq; differentia ab ultima: & vt à forma, sic ab ultima differentia nominatur vnumquodque.

Mistio-
nis de-
finitio
exponi-
tur.

Eandem rem confirmare licet ex mistionis definitione. Cur enim eam definiuit elementorum alteratorum vnionem? Nunquid qualitibus solum alterari voluit elementa, integralque substantia formas asseruari? At hoc est, quod aduersus antiquos disputauerat. Nimirum propterea dixit alteratorum, quod elementorum illa contemperatio, est facta in substantia, ad formam misti producendam est dispositio; omnisque dispositio ad formam alteratione efficitur. Aut alteratorum dixit, & non corruptorum; ne totale illorum exitium quicquā intelligeret. Si quidem prorsus non interire, mistionemque ab ortu & interitu differre, iam posuerat. Alterationis voce dimidiatum interitum significari voluit, velut substantialem quandam (si ita loqui fas sit) alterationem. Eiusmodi enim quidpiam est alteratio in qualitate, cum eadem qualitas intenditur, aut remittitur, alioque & alio modo mutatur. Quod videtur planè significare vox græca *αλλοιωσις*, hoc est alio modo se habentium, seu affectorum, quam antea.

Quid
elemen-
torum
virtus
in tex.
84.

Quod autem spectat ad tex. 84. dixit quidem eorum virtutem feruari, & græcè est *δυναμις*, hoc est potestas. Sed vt ostenderit non penitus interire, tollereturque antiquorum dubitationem: Quæ sublatā nequaquam fuisset, si solam virtutis continentiam asseruisset. Verè enim mistio esset elementorum interitus, & alterius formæ ortus; hoc est nulla prorsus mistio, vt obiecebant illi. Minus peccarunt, qui qualitates intellexerūt, quæ ad operandum virtutes Elementorum sunt. At præterquam quod non virtutes, sed virtutem nominat, nec plures qualitates vnus nomine poterant appellari: aut mistioni solum accidentaria locum relinquunt; aut, vt prudens sit tam sapientis philosophi ratio cinatio, ex illis ipsis qualitibus fateantur substantiarum quoque formas ostendi esse superstitas. Etenim dum ea considerantur, non vt accidentia sunt, sed vt virtutes & proprietates Elementorum: statim intelligitur, non posse proprietates ab essentia separari, à qua sola habent, vt sint quandiu tandem sunt. Neque dici possunt in misto remanere, quod forma accedens formas illas virtute contineat, quarū ea proprietates fuerant. Quoniam & ostensum est, eas in illa nequaquam virtute contineri: & cum proprietates non solum vt producat, sed vt conseruetur, pendeat ab illa natura, cuius proprietates est; dum perent Elementorum formæ, ne puncto quidem temporis possint illa subsistere. Alia prorsus proprietates misti formam comitantur, quæ diuiores multo sunt & præstantiores habent operationes; quam eæ de quibus nunc sermo. Quæ quod in mistis eiusdem sunt speciei, fractiores tamen multo & debiliores, quam in Elementis essentidem omnino principium, fractum licet & debilitatum, demonstrant.

Duplex igitur fuerit verè & germana illius loci interpretatio, vt duplex est vis illius vocis *δυναμις*. Prima est; Non remanent Elementa prorsus integra, nec tota pereunt: quoniam cum duobus modis

quidpiam dicatur, aut actu integro & separato, aut potestate, hoc est actu refracto & permisto eū contrario, qui potestate sit ad suam perfectionem & separationem à contrariis; remanet eorum *δυναμις*, seu potestas, hoc est forma fracta & cum aliis permista, quæ ad suam perfectionem & separationem est potestate. Hocque cōsentit optimè eū eo, quod in eodem textu probauerat, Elementa penitus non interire, quia rursum separantur.

Alter interpretatio est, vt *δυναμις* non potestatem significet actui oppositam, sed facultatem, quæ operationis principium est. Sic enim animæ facultates *δυναμις* non multo post in hoc libro appellabuntur. Quam vocis acceptionem sequutus est latinus interpres, qui virtutem verit. Verum, vt antea demonstratum est, idem ex hac, quod ex priori, conficitur. Erit enim argumentum à posteriori, quo formas illas ostendetur penitus non extinguī, quod virtus operandi & operatio illorum propria vigeat quoque in mistis, licet parte quadam debilitata.

In tex. 89. quo intellectu dixerit, Elementa omnia mutari in dominans; propositis ipsis verbis fiet perspicuum. Sic enim habet. Quando autem potentis adæquantur quodam modo, hoc est vt nullum magnopere superet reliqua, tūc mutatur quidem vtutrumque in dominans ex sui ipsius natura non generatur autem alterum; sed medium & commune. Dominans enim non appellatur misti forma: quoniam hæc nihil agit in mistione, nec Elementis dominatur virtute agēdi, de qua est sermo: immò nec dum eo tempore adest: & si elementorum mutatio in mistum intelligatur, non erit mistio; sed Elementorum interitus, & alterius formæ ortus. Verum id, quod dominans dicitur, est Elementum contrarium, quod viribus quoquo modo superet. In illud tamen ita mutantur reliqua, vt nō gignatur alterum, sed medium & commune; hoc est non vt reliquis Elementis corruptis illud vnum producat, quia nullum foret mistio: sed vt aliqua reliquorum parte corrupta, & aliqua illius genita, ex imperfectis illis contemperatis formis medium quid existat & omnibus illis commune; quod nec ignis sit, nec aer, nec aqua, nec terra, sed omnia hæc permista & contemperata. Hæc est illorum verborum sententia, quæ optimè mistionis naturam exponit. Certè si vnum elementum interire, & alterum gigni non debet, sed ex omnibus fieri medium quid, & commune: multo minus dici potest corrupti omnia, aliam que misti formam produci. hæc enim nobilior quidem est omnium Elementorum formis, at inter illas media & communitis non est, sed diuersæ prorsus ac distinctæ nature.

Iam verò textu 48. posterioris libri mirum est, quam turpiter abutantur. Quicunque enim Philosophi verba perlegerit, aptè intelligit, Excellentiarum nomine perfectionem & summitatem formarum, tum accidentiarum, tum substantiarum, intelligi. Propterea enim principium accipit, non calorem & frigus, sed calidum & frigidum; hoc est Elementa ipsa, quæ qualitatum nomine se ipsam significatur, suscipere magis & minus: do oblique modis actum nominari, aut perfectum & purum, aut dimidiatum & cum contrario permistum. Vnde nimirum colligit, ea, quæ miscentur, ita agendo & patiēdo amittere excellentias suas, hoc est summitates actuum & formarum; vt nec in primam materiam nudam dissoluantur, nec maneat actus puri

puri & integri, sed ex omnibus dimidiatis quidpiā fiat inter omnes medium. Quæ est mixtionis ratio superius exposita.

Ultimus superest locus explicandus, in quo ex virtutibus potius Elementorum, quam ex Elementis, confici mista dicuntur. Primum monendi sunt aduersarij, ne humorem legentes & siccitatem, calorem & frigus, qualitates significari putent; quin substantias potius Elementorum intelligant. Non solum enim vtitatissimum Philosopho est ita nominare: sed in eo ipso loco duo habentur huius rei argumenta. Alterum; quod Elementa nominat terram, aquam, aërem, ignem. Alterum; quod humorem & siccitatem, calorem & frigus, materiam esse scribit mistorum corporum. Non enim accidentia & qualitates possunt esse materia, sed hanc oportet esse substantiam: & iam in tex. 83. prioris libri de ortu & interitu fuerat positum, qualitates non esse aptam mixtionis materiam; sed ea, quæ miscenda sunt, debere esse substantias, vt rursum separari queant.

At quid causa fuit, vt cum mista dixisset ex Elementis componi, sermonem statim corexit, ex virtutibus potius Elementorum confici? Ea videlicet fuit, vt antiquorum vitaret errorem, qui integra in mistis conseruari voluerunt. In quem errorem ipse quoque visus fuerat incidisse, cum absolute ex Elementis primam compositionem fieri pronuntiauerat. Propterea verius dici subiunxit, eam fieri *ex 7. diuiduorum*, hoc est ex potestatibus Elementorum. Potestates autē appellauit, vt & in aliis locis, fractas & castigatas Elementorum partes, quæ summitatibus ablatis temperantur & confunduntur. Sic enim Timæus quoque apud Platonem de Elementis loquens, quæ antequam Deus hunc mundum conderet, confusa erant inter sese & permixta; nullum eorum dixit aquam, vel ignem, vel aërem, vel terram, vt modò apud nos nominantur, iure tunc vocari potuisse. Itaque *de vniuerso*, quam Latinus interpres virtutem vertit, sicut & in tex. 84. prioris lib. de ortu & interitu, melius potestatem vertisset. Quoniam vox illa vix potest id significare, quod ad hunc locum pertinebat; vt quomodo elementa compositionis mistorum materia sint explicaretur. Optime autem declarat potestas, quæ imperfectum actum cum contratio permixtum significat.

Argumenta porro, quibus illi auctores Elementorum formas à misti compositione ablegare profusus se putant, quam leuia sunt & infirma? Nam si de perfectis & totalibus formis; quæ speciem constituent, sit sermo, eas non posse simul esse plures in materia, vltro illis concedendum est. At imperfectæ & permixtæ, quæ nullam habeant speciem, sed sese ad aliam suscipiendam speciem subijciant; tantum abest, vt simul esse nequeat, vt maximè necessarium sit, si mistio vlla futura sit in substantia. Non enim eadem est ratio corporum in loco, & formarum in materia. In eodem loco plura corpora simul non suscipiuntur, quod sua mole occupant locum, neque quantitates eorum penetrare se possunt; & ideo vnum pellit alterum. Formæ nullam habent molem, aut quantitatem. Argumento sit refractarum qualitatum temperatio: quæ integræ & perfectæ simul esse non poterant, castigatæ & dimidiatæ possunt, quamuis pugnantis & contrariæ naturæ. Plures item partium diuersarum formas in viuentibus corporibus eos admittere, & verò etiam diligenter procurare debere, non multò post de-

monstrabitur. Neque enim superiori forma adueniente superuacanea sunt, immò tunc maximè necessaria: nec minùs, quam dispositiones qualibet suscipienda & conseruanda formæ. Nam quod ab ipsis dicitur, misti formam virtute formas Elementorum continere, posseque omnem illarum perfectionem & operationem præstare; absque probatione accipitur, & incautè pronuntiat. A me verò contra potius rem habere ostensum est: vt formis illis amotis ne propria quidem huius perfectio aut operatio constare queat.

Minùs porro prudenter mutationis huius terminos ponunt, dum Elementa volunt esse terminum à quo. Nam duplicem oportet in mixtionem mutationem distinguere. Altera est productio formæ misti, mixtione generatio. Altera vel antecedens materia dispositio; Elementorum scilicet omnium permixtio & temperatio. Si prioris quarantur termini; terminus à quo vt in qualibet generatione, est illud formæ priuatio, & terminus ad quem illa ipsa forma producta. Sin antecederet Elementorum contemperatio consideretur; terminus à quo sunt ipsamet Elementa separata & distincta, viribusque & substantiis integra; & terminus ad quem illa ipsa vnita, permixta, & viribus ac substantiis castigata & fracta. Absolutè autem considerata, vt Elementa sunt & simplicia corpora, nullius termini vim habent, sed materia. Quare vt ab integritate illa & distinctione, quæ est terminus à quo, recedendum est in mixtionem; ita retinenda semper est substantia, quæ est materia.

De ortu subiecto minùs peripateticè sentiunt. Et verò omnino scripsit Themistius in 3. lib. c. 27. hunc esse perpetuum naturæ ordinem, vt inferioribus vtatur tanquam superiorum & perfectiorum materia. Neque enim materia profusa nuda & omni actu spoliata vllius ortus subiectum est: nec nisi antecedentibus quibusdam dispositionibus formata vllam substantiæ formam suscipit. Hæ in simplici Elementorum ortu sunt principes dütaxat qualitates; in mistorum procreatione formæ quoque simplicium corporum substantiales; non quatenus cuiusmodi sunt actus propriæ speciei; sed quatenus inferiores & veluti dispositiones ad nobiliorem actum à natura fabricatæ. Hanc ob causam refranguntur & simul omnes permixtæ & confusæ propriam speciem ac decorem amittunt: atque in hoc vnum conspirant omnes, vt meliori formæ cedant locum & materiam præparent: cedant, inquam, locum quoad speciem & formalitatem; materiam autem præparent suæ realitate. Atque hic est pulcherrimus & admitabilis ordo naturæ; hic omnium corporum nexus; dum ruditas illa & informitas materiæ non statim & subito quemlibet actum & perfectionem admittit, sed progrediendo paulatim ab imperfectioribus ad perfectiores deuehitur: & dum priores posteriorum dispositiones sunt, omnes simul in communis parentis gremio copulantur; singulisque pro eorum dignitate conuenienter & opportunè locus præparatur. Et quoniam priores ad eam non accessunt, vt illam in sua specie constituent; sed vt ad sequentem actum & speciem attollant; is & ex materiæ potestate educitur, & simul cum ea efficit vnum ens per se.

De celebri illa Philosophi propositione, Ortus vnus est alterius interitus, longa posset esse disputatio. Sed hoc loco satis fuerit respondere, eam non in omnibus esse vniuersè veram. Quæmad-

Duplex in mixtione mutatio.

Ortus vnus subiecti qualis.

Ortus vnus sit alterius interitus.

modum in illo accidentium genere, quæ contrarium non habent: nec in iis item contrariis, quorum alterum necesse non est subiecto semper inesse: aut quæ non sunt & corrumpuntur ex contrario, sed ex elementorum permissione primùm existunt. Propterea enim in tex. 20. illius libri ad solas substantias propositionem contraxit. In substantiis autem intelligenda est de compositis potius, quarum propriè ortus est & interitus; quàm de formis. Nam dum interit homo, compositum solum dissoluitur: & dum homo nutritur, perit quidem alimenti forma; sed si vnica illi velint in quolibet composito esse formam, nulla gignitur forma, sed quæ præerat intelligens anima materiam illam formare incipit. Neque verò defuerunt, qui in solis Elementis, eorumque simplici ortu propositionem illam esse veram, missionemque ab ortu longè diuersam mutationem esse affirmarint. Alij plerumque, non semper, intelligentiam esse. Sed vt in omnibus & semper veram esse concedamus; sanè in mistorum ortu quidam est Elementorum interitus: tum quoad realitatem, dum refranguntur & quadam parte mutilantur; vt Aristoteles propterea excellentias illorum dixerit interire: tum quoad formalitatem, dum speciem, distinctionem, & nomen ita amittunt, vt cum permista sint & confusa, omnino videantur non esse; vt idè dixerit Aristoteles esse potestate. Dumque dissoluto misto pristinam perfectionem & speciem recuperant, actu fieri & tunc primùm oriri prope modum existimantur.

*Vt totius
mutatio
totius in
totum.*

Definiuit quoque Arist. ortum esse mutationem totius in totum nullo sensili remanente vt subiecto. Numquid ergo formas omnes Elementorum perire oportet; cum misti forma produciatur? Verùm aut id de simplici Elementorum ortu, in quibus vnica est substantia forma, pronuntiatum fuit. Nil enim aliud eo loco volebat Philosophus, quàm ortum ab alteratione distinguere, aliamque postea missionis definitionem explicauit. Aut de vnus compositi in aliud totum compositum mutatione intelligendum est. Nam cum totum mutari dicitur, non significatur mutari omnia, quæ sunt in composito; alioqui materia quoque interire deberet. Sed ea integritas mutari ostenditur, quæ cuiusque compositi propria est: siue illa ex vnica simplici constet forma, vt in Elementis; siue ex pluribus, vt in cæteris. Vt autè hæc mutatio fiat, satis est vltimam speciei formam mutari, quæ compositum illud totum & integrum absoluebat. Hoc enim est, quod alijs verbis dicitur in tex. 10. eiusdem lib. ortum esse mutationem ex hoc in hoc; vnus scilicet compositi per vltimam speciei formam constituti in aliud compositum, forma illa mutata; etsi plures aliæ remaneant. Quoniam vnica est, quæ speciem tribuit, totumque illud constituit; cæteræ vim habent materia. Quemadmodum cum vnus numerus mutatur in alium, addita vnica, vel detracta vnitate; etsi maneant reliquæ, mutatio est totius in totum; quia totius forma mutatur, quamuis plures alijs inferiores numeri in eo contenti, velut illius materia, conseruentur. Neque enim in corporibus mistis fit statim, vt in simplicibus; sed per plures mutationes, in primam materiam dissolutionem.

Venio ad illud argumentum, in quo magnopere illi verentur, ne nimia vi detineantur in mistis Elementa; neque mista sint parum diuturna. Ele-

menta si secundum suam naturam & vt partes sunt integritatis vniuersi considerentur; habentque leuitatem & grauitatem, & pugnaes qualitates; sanè in mistis ea dixeris esse præter naturam; & propterea in tex. 39. huius libri necessariam esse in vniuersum corporibus animam, ratiocinabitur Aristoteles. Facile tamen continentur, quoniam refracta sunt, castigata, & inuicem conciliata. At quatenus mistorum materia sunt, atque ad illorum compositionem influita, natura duce & conciliatrice naturaliter in illis insunt. Nec temerè affirmauero, non minus naturaliter ea ibi esse fracta & permista, quatenus sunt horum corporum materia; quàm sint in propriis locis sursum aut deorsum integra & separata, quatenus vniuersitatis huius partes existunt. Etenim propter vtrique vim facta sunt à natura; munusque vtrumque libenter exequuntur. Omnem igitur deponant metum, neque mistorum dissolutionem pertimeant.

Neque vt quilibet misti pars sit mista, penetrationem, aut permeationem corporum necessariam putent. Coeuntia enim Elementa in minutas partes diuiduntur; vt non solum tota in tota, sed singula item partes agant in singulas. Harum omnium partium principio est iuxta positio, deinde continuatio. Quoniam vbi agere aggrediuntur, copulantur omnes; fitque vna coniuncta quantitas, & vna omnium communis materia. Vnde tota misti moles, tanta profus, quanta fuit omnium simul Elementorum, quæ ad missionem conuenerunt. Mox verò mutua procedente actione omnium & passione, siue altera qualitate inter symbola, siue vtraque inter asymbola; fit vt in qualibet materie parte, in qua vnica erat vnus Elementi integra forma, peruentibus aliquot, tum qualitatum, tum substantia gradibus, & aliquot aliorum omnium agentium Elementorum gradibus productis, aliquid tandem fit ex Elementis omnibus permistum: atque hoc est, quod Philosophus dixit, quamlibet misti partem esse mistam. Vbi tum in qualitatis & formis, tum in quantitate & materia, existit perfecta vnitas & coniunctio totius misti. Vt iure optimo missionem definiuit esse vnionem; eorum scilicet omnium, quæ in Elementis antea disiuncta erant, & verò etiam pugnantia.

Ita nec plura erunt supposita, pluresue substantiæ. Tum quia hoc in rebus materialibus materia diuersitatem & distinctionem requirit: in multione autem quatuor Elementorum materia in vnam planè coniunguntur. Tum quia vt ex duabus partialibus materiae & formæ existentis vna efficitur perfecta totius compositi substantia; non minus quàm ex duplici illarum partium essentia vna fit compositi natura: ita ex pluribus veluti partium essentis & substantis Elementorum copulationem & permistorem, atque ex essentia & existentia formæ misti accidentis fit vna tota & integra misti corporis, tum essentia, tum substantia perfectissima. Essentiam enim perpetuò comitatur existentia.

De raritate & densitate non est aliter philosophandum, quàm de calore & frigore, humore & siccitate, leuitate & grauitate, perpicuitate & opacitate. Vt enim hæc omnes qualitates in puris Elementis erant puræ, & in mistis cum suis contrariis singule temperantur; ita de raritate quoque & densitate cogitandum est. Sub eadem enim raritate & densitate Elementorum omnium temperatis simul

Propriam cuiusque rei naturam & substantiam, vt ait Philoponus, Elementis superiorem; qua tanquam mistionis finis mistionem totam & temperationem moderaretur.

Cui similia sunt duo alia loca. Alter locus erit in textu 39. huius lib. vbi rursum eandem ob causam eundem hominem accusabit; quod, nisi alia sit misti forma Elementis superior, haud possent elementa contraria simul vnita conservari: sed leuia sursum ascenderent, deorsum graui descendere. Et eo quidem in loco Philoponus accretionis efficietam causam quaerens, animam colligit in viuentibus corporibus velut superiorem formam Elementa continentem: At eodem argumento in mistis inanimis inanimata alia forma concluditur. Alter fuit in tex. 90. & 91. lib. 1. vbi aduersus Platonem, qui animae partes ita in corporis partes distribuebat, vt appetens esset in iecore, irascens in corde, intelligēs in cerebro; rursum obiecit, oportere aliquid esse, quod & illas animae partes vniat, & totum corpus, quod ex tam diuersis membris compactum est. Vt enim abeunte anima dissoluitur corpus, ita dum viuit, non consisteret, nisi vna esset totius & omnium partium forma. At nonne idē aduersariis nostris in hac quaestione obijci potest?

Mitto, quod non solum in 1. lib. phys. sed & in tex. 51. posterioris libri de ortu & interitu, aliisque plurimis in locis, in iis omnibus, quae oriuntur & occidunt, siue simplicia sunt, siue mista, praeter materiam posuit formam tanquam illorum ortus finem. Nam vt mistorum ortus à simplicium & viuentium procreatione diuersus est, sic propriam illorum formam à reliquorum formis diuersam esse oportet, illorum videlicet ortus finem ac terminū. Certē in vltimo capite lib. 4. Meteor. cum esset sermo de carne, osse, aliisque similibus animalium corporum partibus: Sunt autem inquit omnia, vt ex materia quidē ex Elementis, vt autem secundum substantiam, ratione. Atque hoc videtur semper fuisse praecipuum huius sententiae fundamentum, quod antea ostensum est Aristoteli & Peripateticis omnibus fuisse semper firmissimum. Cum. n. in quolibet composito materiam & formam res diuersas esse oporteat; mistorum corporum forma diuersum quidpiā erit ab Elementis, quae sunt materia: Quippe haec duae partes & causae nunquam possunt in vnam re conuenire, vt est in textu. 70. lib. 2. phys.

Verum is argumento eterogeneorum partium id ex instituto demonstrat. Etenim quemadmodum haec forma habet animam à materia & corpore distinctā, cuius beneficio operatur, eaque remota omonymē appellantur manus, aut pes; ita & in carne & osse intelligēda est forma ab Elementis diuersa, quae sunt illorum materia. Quaedā est operatio carnis & ossis propria, cuius propriū itē aliquod necesse est esse principium. Idēque post subiungit de aere, argento, caeterisq; mistis inanimis existimādū esse. Verē n. hoc argumēti genus ex operatione deproptū firmissimū, est ad ostēdendā formā operationis principium & causam. Plurimae autem in omnibus cernuntur operationes, quae tota Elementari natura superiorē virtutē demonstrant. Admirabiles namque herbarū virtutes, magnetis, electri, lapidūque plurimorū, qui possunt in solas elementorū formas, aut qualitatum temperationē reuocari? Nam etsi ex ex qualitatum mistione immediatē deriuentur; aliam tamen praecipuam supponunt causam, quae substantiae forma sit.

Denique dū in tex. vlt. lib. 7. metaph. formā probaret Philoponus in qualibet substantia coposita re esse à materia diuersam; haec inter caetera protulit: Caro non solum est ignis & terra, aut calidū & frigidum; sed etiā aliquid aliud. Et in tex. 22. lib. 12. Si quid ex frigido & calido fit vnum, vt caro aut os; necesse profecto est aliud ab elementis esse illud, quod factū est. Illud verò perquam manifestū est, corpora omnia mista species esse naturalis corporis, tū inter se, tū ab elementis natura distinctas: omnēq; huiusmodi distinctionē ab actu fieri & forma substantiae, quae naturā singulis & speciem tribuat.

Vniuersum hoc formarū genus ita nominare licet, vt inanimorum mistorum formas appellemus. Dum. n. mista nominamus, ab Elementorū formis, dum inanimata, ab animabus eas distinguimus. In specie autem lapidum, aut metallorum, carnis, aut ossis formas non minus verē, quam plantarū, aut animalis. Magisque ad specialia descendētes, formam silicis, marmoris, auri, argenti; sicut formā lactuca, betae, equi, canis, & aliorū. Suntque haec prima omnium formarū, quae ex sola Elementorum permistione oriuntur, actus materiae, quae omnibus partibus est tota sibi similis. Quam ob causam haec omnia omogenea vocantur.

Sed duae sunt difficultates. Altera; cur si ita est, mistionē Philoponus definiuit solā Elementorū alteratorū vnionē? Cur huius formarū non meminit? Altera; à quonam ea producatur, neque enim lapis lapidem, nec metallum metallum procreat.

Si huius formarū in ea definitione nō meminit, meminit pluribus aliis in locis, ex quibus aliquot indicata sunt. At neque dum simplicem & vniuersum definiuit ortū, substantialis formae meminit, sed solum filium duntaxat qualitātū. Ortum inquitens mutationē esse totius in totum nullo sensu remanentē, vt subiecto. Deinde eam propterea nō nominauit, quod non de misti ortu, sed solum de mistione ageret. Aliud. n. est mistio, aliud misti ortus. Mistio antecedentē significat Elementorum temperationē atque vnionem, quae ad gignendum mistum necessaria est. Misti autem ortus, est formae misti propria productio; qua corpus illud, velut species corporis ab Elementis diuersa, constituitur & in naturā subsistit. Hoc planē Philoponū voluisse, manifestum est ex tex. 83. vbi mistionem ostēdit ab ortu distinguī. Et idēdō cum omnis ortus substantiae mutationem & alicuius productionē adferat; mistionē definiuit esse vnionē duntaxat alteratorū Elementorum; ortum autem, vniuersum quidē & simplicem esse mutationem totius in totū, Eum verò, qui mistorum est proprius, in cap. 2. lib. 4. meteororū, esse mutationem factam à primis qualitātibus, postquam humidum & siccum à calore & frigore temperata fuerunt & ad proportionem vnicuique naturae conuenientē reducta. Porro huic temperationi in misti dissolutione respondet putredo; quae & Elementorū separatio cōsequitur, & formae misti interitus.

Dum autem queritur efficiens causa, antecedētis quidē alterationis & mutuae elementorū temperationis responderi potest efficiētē causam esse ipsa Elementa, quae insita sibi agēdi virtute illud operantur. De vltima verò formae misti productione constat, animata mista virtute feminis à simili procreari; Colorū, tanquā generalis causa, accedēte cōcreta. At de inanimis, quorū procreatio nō est à simili, nō idē fuit omnium iudiciū. Hocque controuersae genus longiorem disputationem postulat, quam in

alium locum differo. Nunc satis fuerit dicere, hanc omnium formarum productricem causam non esse aliam, quam cœlum per lumen, vt elementorum temperatione, tanquam materia dispositione, determinatur, ac temperatarum qualitatum virtute inuatur.

Ex quibus omnibus tandem intelligas, mixtorum corporum productionem, tum ab elementorum ortu, tum à viuientium procreatione distinctam esse. Nam & formæ cuiuspiam à simplicium & animatorum corporum formis diuersæ productionem significat; & antecedentem habet alterationem, materiæque dispositionem prorsus diuersam. Dum enim simplex corpus produendum est, simplex duarum qualitatum coniugatio opportunam satis materiam præparat. At ad mixti formam suscipiendam elementa omnia omnesque illorum qualitates miscentur & temperantur: sed ita, vt materia, quæpiam fiat homogenea tota, eiusdemque naturæ & temperationis. Quod si corpus viuere debeat, organicum erit, atque in plures distinctum partes, quæ alias atque alias naturas & qualitatum temperationes habeant. Ita tum mixti natura, tum productio inter naturam & productionem, tum simplicium elementorum, tum animatorum corporum, media est.

Sed lapides Clearchus testimonio Themistij capite quinto non nutrirî modo & augeri, sed & parere affirmat. Et metalla, mixtaque omnia Philoponus commentario ad textum 34. & Hieronymus Cardanus libro quinto de subtilitate. Tamen inanima esse Philoponus; & verè viuere, animaque sustentari Cardanus voluerint.

Sanè quod Orpheus olim, Pythagorici, & Democritus dixerunt, lapides diuinam quandam continere virtutem, qua ceu anima regantur; sapienter dictum est, sicut par est intelligatur. Iouis enim omnia plena, vt est apud Aratum, & Diis omnia plena, Phœtis vox fuit. Neque inter Peripateticos Alexander modò consentiet in capite tertio lib. secundi natural. quæst. sed Aristoteles quoque, qui in primo de partibus animal. capite quinto, eos qui præstantissimarum duntaxat rerum cognitionem sectabantur, viliores quasque fastidiosè aspernantes; hoc argumento reprehendit, quòd nulla sit res in natura, in qua non admirabile aliquid inditum habeatur; adfertque illud Heracliti; Ne huic quidem fornariæ case Dij desunt immortales. At si omnia esse anima, tanquam forma, quæ illorum substantiam constituat, verè prædita voluerunt, hoc ipsum est, quod in textu 87. & 88. libri primi aduersus eos disputauit Philosophus, qui animam esse per omnia corpora diffusam & sparsam asserabant.

Mihi verò rem totam placet paucis concludere. Anima est actus corporis naturalis organici, hoc est eterogenei & in plures partes diuersæ naturæ ac substantiæ distincti. Sic enim antea definitum est. Lapides, metalla, & mineralia cætera sunt tota sibi similia, tum qualitativis, tum substantia: Et quamuis in minutissimas partes diuidas, nihilo tamen minus perfecta est natura; quin prorsus eadem. Hoc nullius viuientis conditio patitur: sed pereunt cuncta, si vel præcipuè aliquæ partes, ac nobiliora organa ampu-

tentur. Sanè triplex est anima Philosophorum omnium censu; Vegetans, Sentiens, Intelligens. Nullius organa subsunt, nullius cernitur operatio; nulla igitur inest anima. Sentientem, atque intelligentem ne Cardanus quidem posuit: sed vegetantem solam. Erunt igitur plantæ. Hæc enim plantarum forma. Deinde hæc animæ tres minimum operationes habet, Nutritio-nem; Accretionem; Procreationem: ad easque exequendas, tum organa comparata, tum materiam opportunam; vt videre est in iis omnibus, de quorum anima, & vita constat. Et eorum quidem nutritio tandè sit quandiu viuunt: Accretio & Procreatio constitutum habent tempus; Accretionique decretio opponitur. Corpora hæc, vt homogeneam habent naturam, sic vna est illis semper & eadem operatio; nulla organicarum partium diuersitas; nullum certum auferendi tempus; nullus magnitudinis modus: sed quod de igne pronuntiatum est in text. 41. alia atque alia accedente materia euadunt semper grandiora: neque minuitur vnquam, nisi quæpiam eorum parte amputata. Inter cætera functionum harum instrumenta venæ ac pori cum primis necessarij sunt. Nullas in iis venas inesse, nullos poros pretiosissimæ quique lapilli & gemmæ testantur: in quibus tamen maximè inesse oportuisset, quòd in suo genere perfectissima corpora sint. Nullæ item in metallis venæ. In auro & adamante pori nulli. Quòd si quibusdam in lapidibus quædam eorum vestigia appareant; ea non sunt venæ, sed interualla; quibus illorum partes propterea separantur, quòd exterioris materiæ additione grandescant: Neque tota simul addatur, aut commutetur materia; sed subinde & per partes; nec possit accedens cum antecedente coniungi satis & copulari. Quare nec in illis, quæ venæ esse videntur, vlla continentur foramina, quibus alimento suscepto & distributo venarum fungantur officio: sed quidquid est, solidum est. Iam ad illud ipsum alimentum hauriendum nullam habent comparatam partem; quemadmodum radices plantæ, os animalia: ad gignendum verò, nec partem vllam, nec semen. Etenim natura, vt nihil redividans facit ac superfluum; sic in nulla re necessaria cuiquam deest. Atque si in hoc corporum genere, vt in aliis pluribus, animam ponere voluisset, nimium necessaria illi ad functiones omnes perficiendas organa præparasset. Hoc enim ipso argumento in textu 50. lib. 2. de Cælo demonstrat Philosophus, Cælum incedendi facultate præditum non esse, quòd pedes & organa motui illi necessaria non habeat. Si nonnulli lapides, inquit Philoponus in commentario ad textum 37. augeri videntur, non est hæc propriè actio, sed potius additio. Hanc enim actionem docet Arist. quæ per instrumenta naturalia. Instrumenta autem non sunt in inanimatis; non ergo augentur. Et alioqui, quod augetur, per omnem partem augetur. Lapidibus autem exterius fortasse addita materia quædam fit mutatio, & sic maius totum fit, non facta actione, sed additione: sicut si ignis augeri dicatur pluribus

capite quinto non nutrirî modo & augeri, sed & parere affirmat. Et metalla, mixtaque omnia Philoponus commentario ad textum 34. & Hieronymus Cardanus libro quinto de subtilitate. Tamen inanima esse Philoponus; & verè viuere, animaque sustentari Cardanus voluerint.

Sanè quod Orpheus olim, Pythagorici, & Democritus dixerunt, lapides diuinam quandam continere virtutem, qua ceu anima regantur; sapienter dictum est, sicut par est intelligatur. Iouis enim omnia plena, vt est apud Aratum, & Diis omnia plena, Phœtis vox fuit. Neque inter Peripateticos Alexander modò consentiet in capite tertio lib. secundi natural. quæst. sed Aristoteles quoque, qui in primo de partibus animal. capite quinto, eos qui præstantissimarum duntaxat rerum cognitionem sectabantur, viliores quasque fastidiosè aspernantes; hoc argumento reprehendit, quòd nulla sit res in natura, in qua non admirabile aliquid inditum habeatur; adfertque illud Heracliti; Ne huic quidem fornariæ case Dij desunt immortales. At si omnia esse anima, tanquam forma, quæ illorum substantiam constituat, verè prædita voluerunt, hoc ipsum est, quod in textu 87. & 88. libri primi aduersus eos disputauit Philosophus, qui animam esse per omnia corpora diffusam & sparsam asserabant.

Mihi verò rem totam placet paucis concludere. Anima est actus corporis naturalis organici, hoc est eterogenei & in plures partes diuersæ naturæ ac substantiæ distincti. Sic enim antea definitum est. Lapides, metalla, & mineralia cætera sunt tota sibi similia, tum qualitativis, tum substantia: Et quamuis in minutissimas partes diuidas, nihilo tamen minus perfecta est natura; quin prorsus eadem. Hoc nullius viuientis conditio patitur: sed pereunt cuncta, si vel præcipuè aliquæ partes, ac nobiliora organa ampu-

tantur. Sanè triplex est anima Philosophorum omnium censu; Vegetans, Sentiens, Intelligens. Nullius organa subsunt, nullius cernitur operatio; nulla igitur inest anima. Sentientem, atque intelligentem ne Cardanus quidem posuit: sed vegetantem solam. Erunt igitur plantæ. Hæc enim plantarum forma. Deinde hæc animæ tres minimum operationes habet, Nutritio-nem; Accretionem; Procreationem: ad easque exequendas, tum organa comparata, tum materiam opportunam; vt videre est in iis omnibus, de quorum anima, & vita constat. Et eorum quidem nutritio tandè sit quandiu viuunt: Accretio & Procreatio constitutum habent tempus; Accretionique decretio opponitur. Corpora hæc, vt homogeneam habent naturam, sic vna est illis semper & eadem operatio; nulla organicarum partium diuersitas; nullum certum auferendi tempus; nullus magnitudinis modus: sed quod de igne pronuntiatum est in text. 41. alia atque alia accedente materia euadunt semper grandiora: neque minuitur vnquam, nisi quæpiam eorum parte amputata. Inter cætera functionum harum instrumenta venæ ac pori cum primis necessarij sunt. Nullas in iis venas inesse, nullos poros pretiosissimæ quique lapilli & gemmæ testantur: in quibus tamen maximè inesse oportuisset, quòd in suo genere perfectissima corpora sint. Nullæ item in metallis venæ. In auro & adamante pori nulli. Quòd si quibusdam in lapidibus quædam eorum vestigia appareant; ea non sunt venæ, sed interualla; quibus illorum partes propterea separantur, quòd exterioris materiæ additione grandescant: Neque tota simul addatur, aut commutetur materia; sed subinde & per partes; nec possit accedens cum antecedente coniungi satis & copulari. Quare nec in illis, quæ venæ esse videntur, vlla continentur foramina, quibus alimento suscepto & distributo venarum fungantur officio: sed quidquid est, solidum est. Iam ad illud ipsum alimentum hauriendum nullam habent comparatam partem; quemadmodum radices plantæ, os animalia: ad gignendum verò, nec partem vllam, nec semen. Etenim natura, vt nihil redividans facit ac superfluum; sic in nulla re necessaria cuiquam deest. Atque si in hoc corporum genere, vt in aliis pluribus, animam ponere voluisset, nimium necessaria illi ad functiones omnes perficiendas organa præparasset. Hoc enim ipso argumento in textu 50. lib. 2. de Cælo demonstrat Philosophus, Cælum incedendi facultate præditum non esse, quòd pedes & organa motui illi necessaria non habeat. Si nonnulli lapides, inquit Philoponus in commentario ad textum 37. augeri videntur, non est hæc propriè actio, sed potius additio. Hanc enim actionem docet Arist. quæ per instrumenta naturalia. Instrumenta autem non sunt in inanimatis; non ergo augentur. Et alioqui, quod augetur, per omnem partem augetur. Lapidibus autem exterius fortasse addita materia quædam fit mutatio, & sic maius totum fit, non facta actione, sed additione: sicut si ignis augeri dicatur pluribus

De lapidibus autem augmentum non est hæc propriè actio, sed potius additio. Hanc enim actionem docet Arist. quæ per instrumenta naturalia. Instrumenta autem non sunt in inanimatis; non ergo augentur. Et alioqui, quod augetur, per omnem partem augetur. Lapidibus autem exterius fortasse addita materia quædam fit mutatio, & sic maius totum fit, non facta actione, sed additione: sicut si ignis augeri dicatur pluribus

K K

Themistij

Lapides autem mixtaque omnia

De lapidibus autem augmentum non est hæc propriè actio, sed potius additio.

lignis additis. Sic & metalla augentur humida. A
 ex qua constant, materia circumcirca exterius
 concreta, eaque in ipsorum substantiam ab ea qua
 est in terra, naturali facultate & vniuerso muta-
 ta. Quo loco Philoponus tres complectitur cau-
 sas, propter quas haec corpora verè nutriti &
 augeri non dicantur. Primam, quia haec non fiunt
 per instrumenta naturalia, os, ventrem, venas,
 & alia, quae sunt in viuentibus. Alteram; quòd
 non in omni parte fiunt; sed in exteriori sola, cui
 materia additur. Postremam; quòd non ab inter-
 iori principio, sed ab exteriori virtute terrae, aut
 alterius causae perficiantur. Quòd ex vniomibus
 maximè probare licet; quos qui puriores faciunt,
 primum, secundum, ac tertium corticem tol-
 lunt, vt purissimum corpus inueniant. Exteriori
 enim materia addita per cortices geniti & aucti
 fuerunt. Quòd si pretiosissimi lapides hi non prop-
 riè nutriuntur nec augentur, multò minùs de
 reliquis id credendum est.

Argu-
 menta
 Carda-
 ni.

At enim Cardanus ista omnia corpora, præ-
 ter Tosum verè viuere & anima sustentari, mul-
 tis modis conatus est persuadere. Primum enim
 inquit, nutriuntur omnia, crescunt, & gignun-
 tur: quae operationes animae sunt. Certè Papi-
 nianus L. Diuortio. §. si vir. ff. soluto matrimo-
 nio, lapides fanciuit, qui non renascuntur, non
 esse in fundi fructu: secus autem, si caeli renascan-
 tur; quales in Gallia sunt & Asia. Deinde mista
 corpora sensim ab elementari natura recedunt:
 terrae primum, deinde lapides, succi, metalla,
 plantae, animalia imperfecta, & perfecta vsque
 ad hominem. Quare si homo, animalia, & plan-
 tae fruuntur vita; cum sit idem caelestis calor, qui
 haec omnia misceat; aut nil aliud est anima, quàm
 caelestis calor; aut is est primū animae instru-
 mentum: atque vbi est ille, est etiam anima: est au-
 tem is in reliquis quoque mineralium corpori-
 bus: Tum verò vt animalia morte grauiora euadunt,
 propterea quòd dum exhalant animam,
 euanescent calor, & quidquid ab eo elaboratum
 est: ita plumbum dum in cerussam vertitur & vritur,
 tertiadecima ponderis parte augetur: quòd
 mirum caelestis ille calor euanescat. Postea in
 montibus non secus, ac plantae, nascuntur met-
 allica, patulis ramis, radicibus, truncis, & qua-
 si floribus, ac fructibus: vt nil aliud, quàm
 plantae sepulchra & totae sub terra nascentes esse
 videantur: sicut & inter animalia vermes, buf-
 ones sub terra nascuntur, & viuunt. Præterea la-
 pides quosdam inuenias immaturos, & inconco-
 cta substantia: post ad maturitatem veniunt; quem-
 admodum ea, quae viuunt. Pars quoque, vt fru-
 ctus arboris, purior; alia impurior. Habent ven-
 nas & nutritionis instrumenta, estque in illis mors.
 Nam magnes quidam lapis cum traheret ferrum
 alacriter, paucis annis ita extinctus est, vt trahere
 desierit. Flores autem & fructus necessarij non
 sunt; cum nec in omnibus plantis visantur, atque
 ex fecunditate oriantur: quae ab humore & sole
 proficiscitur, quae metallicis defunt; sol semper,
 humor plerumque. Denique vt plantae, sic
 lapides & metalla, quatuor illas habent partes
 viuentibus necessarias, radices, corticem, sub-
 stantiam, & venas. Radix est lapidi lapis, me-
 tallo metallum, aut metallicum & terra: cor-
 tex, substantia, & venae, manifestè à quolibet

conspiciuntur.

Hæc fermè Cardanus disputat. Quae mirè ri-
 det Julius Caesar Scaliger in exercitatione aduerfus
 ipsum 101. cap. 14. & 18. & tota 102. Ac primum
 quidem non video, quo iure, quae inuria so-
 lum Tosum inanimatum esse affirmet. Deinde
 omnia facile explicantur. Nam neque nutritio,
 neque accretio, quae horum corporum, tum la-
 pidum, tum metallorum esse videntur; sunt ab
 anima interiori principio, & alimento intrinse-
 cepto; sed sola additione materiae, calorisque,
 aut frigoris actione. Quae etiam fit interdum vt
 caeli lapides renasci videantur; dum noua eadem
 loco suppeditatur materia. Verè quidem ag-
 nouit Cardanus caelestem calorem in his corporibus
 operantem. At si cum animam, aut animam in-
 strumentum dixerit; parum sapienter pronun-
 tiauerit. Est enim Caeli potius atque motricis
 Intelligentiae instrumentum, ad animam, cetera-
 raque formas in materia disposita procreandas.
 Anima autem substantiae formam significat; quae
 non nisi in organica materia producitur, cuiusque
 instrumentum alius quidam est calor, qui caelesti
 illi quidem respondere dicitur in cap. 3. libr. 1. de
 animalium ortu; sed nusquam esse idem affirma-
 tur. Argumentationem illam magnopere miror:
 Mista sensim ab elementari natura recedunt; igitur
 vt homo, animalia, & plantae sunt animata,
 ita & lapides & metalla esse oportet. Immo ve-
 rò quoniam non subito ab extremo ad extremum
 migrat natura, sed sensim per intermedios om-
 nes gradus ab elementari & simplici conditione
 recedit, prius necesse est quaedam esse corpora,
 quae solam simplicium missionem habeant, non
 animam: tum verò perfectiora succedant alia,
 quae & mista sint & animata. Vt ita & paulatim
 progrediatur natura, & gradibus omnibus ordi-
 ne optimo perficiatur materia, Inanimatum enim
 mistum gradum entis quempiam significat, quo
 iniquum est materiam ac mundi huius vniuersi-
 tatem spoliare. Aequissimum autem & simplici
 gradu, & misto inanimato, atque animato, tan-
 quam duobus extremis & medio, absoluerent om-
 nia. Cur animalia morte grauiora euadant, asper-
 nanda non est hominis ratio; tamen non probe-
 tur Gabrieli Faloppio in libro de Fossilibus cap.
 8. mortuaeque corpora neget esse grauiora, licet
 videantur esse, quòd partes omnes concidant,
 nec sese sustentent; quemadmodum dum viuunt
 sustentabant. Sed ea viuētibz omnibus eōdem
 non est. Siquidem plantae, cum arescunt, leuiores
 potius fiunt, quòd humorem amittant, qui ad-
 debat pondus. De plumbi in Cerussam mutatio-
 ne experientiam non habeo. Scaligerum tamen
 ridentem video, maloque credere plumbum &
 metalla corrupta grauiora fieri, quòd aëre par-
 tes, tenuioresque materia exhalet. Quòd in mon-
 tibus nascuntur & metalla & plantae, præter
 rum scilicet ad formae & vitae comunem affe-
 rendam subtilis hominis argumētum. Quali vero
 quaecunque in eodem nascuntur loco eandem na-
 turam habeant. Nascuntur & in vallibus plantae, &
 in montibus Tosus; nec tamen animatum Tosus, nec
 plantae inanima. Rami, radices, trunci, & reliquae
 plantarum partes exteriori quidem figura in lapi-
 dibz interdum & metallis, non tamen recipiunt
 & substantia sunt. Omonymè igitur; sicut &
 homo

homo pictus, aut lapideus. At non plantarum modò partes, sed animalium quoque & hominum ostentant nonnquam, & metallica, & arbores, & nubes: animalia igitur & homines hæc omnia esse dixeris. Matura item & immatura, tum metalla, tum lapides improprè appellantur propiè viuientia sola, & maximè arborum fructus. In illis autem inanimis corporibus non est vsque adeò semper elaborata & exactè cocta & permixta materia, vt perfecta corporis natura possit; post perficitur magis, meliusque coquitur & miscetur. Minus verè dicuntur mori; quoniam mors vitæ priuatio est: eaque sola moriuntur, que vitam habuerunt: reliqua intereunt, dissoluntur, putrescunt. Quodque magnes quispian deseriit aliquando trahere ferrum; aut causa fuit temperationis mutatio, aut quòd à circumiecto aëre, aliisve exterioribus causis dissipata fuerint aliqua illius corporis partes, que formæ fuerant instrumenta. Et fortasse fractus si fuisset, interiores partes eandem trahendi virtutem habuissent: quod obseruatum aliquando fuit. Denique nullam horum mistorum genus partem habet viuientium corporum. De venis dictum est. Corticem videntur interdum habere; at non est illorum pars, sed velut scoria, parsque materiæ impurius. Substantia in omnibus ærniatur; vel etiam simplicibus corporibus. Radices nullæ sunt, nec esse possunt; quòd alimento ex terra attracto non sustententur. Neque enim fit lapis ex lapide, neque ex metallo metallum: & sæpissimè iis in locis produciuntur, in quibus nec lapis fuit antea, nec metallum; eam solam ob causam, quòd opportuna in eum locum materia confluat, in quo iuxta singulorum naturam concresecere possit & perfici.

Quibus in locis hæc corpora. In omnibus tamen idem ferè productionis modus. Vt hac in re sapienter natura prouiderit, dum imperfectissimas & vbiq; maximè necessarias elementorum formas pluribus in locis voluit pluribusq; modis procreari. Animalia perfecta in eodè semper loco, eodemq; modo: quæ verò inter hæc erant media, in pluribus quidè locis propter summam eorum, tum necessitatè, tum commoditatè; sed eodem vbiq; ferè modo. Sanè commodissimus, & opportunus maximè locus est in visceribus terræ, in quibus nullum viuens. Quoniam & ibi maximè materia suppetit, & facillè preparatur, atque in loco omni ex parte clauso sublimata & præparata promptior est ad concresecendū. Deniq; siue à calore, siue à frigore concresecere ea oporteat; hæc quoque effectrix virtus in eo præsertim loco ad agendum efficacè est. In aperta, patentique terra sæpissimè visuntur lapides; aut ex abditioribus effossi locis, aut crebris terrarum mutationibus, fossionibus, ac versionibus detecti, aut demum quòd ibi nascantur interdum; minutiores potissimum, vt lapilli in aquarum perpetuarum, maris, & fluminum littoribus; breuiore in quibusdam, in aliis longiore tempore. In locis quibusdam riparum fluminis Gyon triginta tribus annis nasci, Auicenna, Albertus, & alij memorant. Visuntur & interdum metalla, immò metallorum venæ. Vix tamen ibi creduntur genita; sed aut torrente detecta, quod Fribergi argentariis accidisse Georgius

A scribit Agricola: aut ventorum vi, qui arbores, sub quarum radicibus fuerant orta, radicibus extirpant: aut montis, vel saxi abruptione; aut aratione, aliave simili causa. In aquis sæpissimè gignuntur lapides; vel quòd ipsæ super ripas fuisse lapidescant; aut materiã mutant, quam ibi aptam inuenerint (quòd pluuias quoque in Pireneis dicuntur quibusdam in locis efficere.) Vel quòd dum per aliqua loca fluunt; minimas lapidū abradant partes; aut secum lapideum succum vehant, qui mox ad mirum aliudve corpus adharescens, in lapidem concresecat: quod de Tiburtinis Anienis fluij aquis credi potest. Ea etiam vis est interdum & conditio aquarum, vt ligna in illis mutantur in lapides lignorum quoque figura seruata; vt in corallio manifestum est.

B In mari Dorico auctor est Albertus inuentum fuisse arboris ramum cum animum nido, ambusque in lapidem mutatum: esseque in Gothia fontem, qui corpora quecunque immersa vertat in lapides. In Ciconum flumine, atque in Piceno lacu Velino interctum lignum lapideo cortice obduci. In Surio item Colchidis flumine; nec virgulta modò, sed & arborum folia in Silaro flumine lapidescere, & in exitu Reatinæ paludis saxum crescere, Puteolanoque pulueri idem accipere ex terra Cyrenæ & Cassandriæ & totius tractus ab Oropo Aulidem vsque, si salfam maris aquam attigerint, aut in Cnidij fontis dulci octo menses fuerint; apud Plin. legimus. In ipsis arborum truncis fuisse nonnquam repertos lapides, historia tradunt. It aut ibi produci potuerunt, si locus fuit cauitus & apta materia, aut aliande asportati, crescenteque arbore coniecti. Sic enim arma in Oleastro appensa, & ambiente cortice occultata reperit aliquando antiquitas, & clauum in media quercu Scaliger Exer. 137. Admirabile est, quod de Lithospermo narratur. Herba est, quæ singulis folijs singulas veluti barbular gestat, & in earum cacuminibus D lapillos candorè & rotunditate margaritarum, magnitudine cicercis. Per multos in animalibus reperiri plerique omnes norunt. In hominis renibus ac vesica calculum; & Lupi syritem; in iuuenarum ventre nigricantem Tofum; & motacillæ aus Chloritè; & viridis lacerti fauritem; & Gallinaceorum Alectoriam: & Hirtundinis Chelidoniam. In piscium crebris Chnediam, & synodontidem; & Vulturis Quandros; in Buffonis capite Boracem; & Draconis Draconidem; & Galli Radain; in oculis Iene lapidem eodem appellatum nomine; in testudinis corpore Celontem; in Indico quodam testudinis genere silentem; in multis Buffonibus Nuse, in conchiliis demum margaritam. Tanquam nouum & admirabile adfert Scaliger in exerc. 108. in humano iecore, pulmonibus, palpebris, & podagricorum, adde & chiragricorum iunctus inuentos lapides: & in vesica felis Faloppus in libro de Fossilibus cap. 7. Quin etiam pluriã interdum dederunt lapides. Eos Plinius, & Cardanus non fuisse in nubibus genitos, sed vi ventorum illuc ex terra asportatos dicerent. Ego ibi posse gigni non nego ex apta elementorum temperatione in sublimi loco, permixto halitu viscoso, frigoreque concreto. Montes præ cæteris mundi partibus, vt viuentibus ferè carent, sic & lapidibus abundant & metallis. Vt si qui lapidibus saltem

Plinius
lapidibusCur in
montibus
alij dicit.

careant, ij nec magni sint, nec cum aliis coniuncti; sed solitarij, & per camporum planitiem dispersi. Sin autem plures sint coniuncti & magni, lapidei semper videntur: quoque plures & altiores, difficiliore quidem sunt ad eruendum, sed ad largiendum liberaliores. Cur ibi potissimum gignantur hæc corpora, ea est causa: quod lignonibus, rastro, & aratro non exhauriuntur: neque hominū industria perspirare coguntur: Cumque illorum substantia solidior sit, calorem & fumos melius multo continent; Habent & plures cavitates & cavitates, quibus colligi fumi & perforari commodè queant. In reliquis terra partibus aut non facile colliguntur, aut quod molliores sint & crebro fodiantur ac vertantur, collecti statim expirant, atque in aëre evanescent. Deinde in altis montibus abundant nives, diuturna glacies; & vehemens sævit frigus: quæ calorem ad imas partes compellant, robustioremque reddant & efficaciorē eius operationem: dum in patentibus campis ab exteriori continentis aëris calore interior terræ calor ad exteriora vocatur, atque dissolvitur: Tum verò montium vis & fecunditas crebris sementibus, herbis, & arboribus non exhauritur; quemadmodum tota propemodum camporum virtus: Quam ob causam montes illi, qui arborum, aut vitium feraces sunt, vix lapidibus, aut metallis abundant; nisi in imis fortasse & remotioribus partibus. Humidum enim pingue arborum, vitium, & herbarum sustentatione consumitur. Præterea, ut hyeme non pullulant herbe, nec plantæ feliciter; quod nimis humor frigidus & aqueus procreationi aduersetur. Germinant autem vere, seseque attollunt facilius, propter humorem temperatum & pinguem. Sic aqua & humidum eius superfluum, quæ lapidum ac metallorum ortum impediunt; ex montibus ad valles desciunt, promptamque & expeditam procreationem relinquunt. Scio, hæc Scaligero minus fuisse probata. Sed quæ contra disputat exerc. 98. acuta magis sunt, quam ad conuincendum accommodata.

Aliam addit causam Cardanus; quod montes speciem quandam habeant vitæ: quoniam faxis constant, quæ viuunt; vbi autem vitæ, ibi promptior naturalis procreatio. Verum ex falso principio, iamque satis superque confutato ratiocinatur. Magis sapienter videatur cuiusdam philosophi Auer. montes eam habere potestatem, quod Cælo propinquiores sint. At si veræ sint ac necessaria Astrologorum demonstrationes, totam terram cum cælo comparatam instat esse puncti; quænam tanta montium & camporum diuersitas? Præsertim cum in vallibus propter luminis reflexionem abundet magis calor: minusque, quam in montibus, regnent venti. Georgius verò Agricola diligentissimus harum rerum obseruator non maximos, sicut nec minimos, sed inter hos potius medios montes fodi iubet. Quæcunque autem sit causa, res ipsa constat: suntque montes lapidum & metallorum feraciores, campi plantarum & animalium: illi inanimatorum mistorum, hi animatorum. Sic enim partiri natura voluit, totumque inferiorem hunc locum implere, & diuersis entium generibus omni ex parte ornare. Ideo inanimis mistis magis abundant montes; quod & abundet materia, & altero viuentium mi-

storum genere magis priuentur. Intimis finibus ac visceribus conduntur & quasi absconduntur. Tum quod eo in loco colligatur materia, adistatque virtus ad efficiendum necessaria. Tum quod cum illa penè sola sint propria montium opes & bona, maiori cura & sollicitudine cultodiantur, nec nisi summa vi & humana industria ac labore superante rapiuntur.

Non desunt tamen argumenta per multa, quibus latentes opes, occultique thesauri cognoscantur. Nam si promincia cæterarum omnium rerum sit ferax, mineralium quoque corporum feracem esse concludemus. Quoniam si perfectiora reliqua, quæ maiori opus habent virtute, largè suppeditat, quidni profertur imperfectiora? Si terra luosa sit, & metalli ramentis permixta: si pinguis, candida, viridis, carulea, lutea, rubra, nigra, aut alterius similis coloris; mineralis nature indicium existimatur. Viridis enim fieri creditur ab ære, nigra ab argento & auro, livida à plumbo & ferro, cinerea & obscura à sulphure, livida à calchante. Si calida fuerit regio, gemmas quoque & preciosiora metalla vberius supeditabit. Hæc enim maiore indigent calore, quo & magis tenuetur materia, & perfectiora meliusque miscetur. Eandem ob causam optimam fuerit, si altioris montis vertex meridien spectet, Boream radix. Maiorem enim habebit à meridiano calorem ad tenuandum & miscendum, atque à Boreâ frigus ad concrendum: aut si malis à septentrione multum humorem, qui à meridiano calore tenuabitur ac temperabitur. In his montibus argentum maxime querit Cardanus, cuius feraciores fodinæ ex oriente occidentem tendant. Rationem non exponit. Nulam subesse puto. Verius illud; montes exterioribus partibus steriles, interioribus feraces esse. Quoniam humor & materia ad gignendum apta expirare cum nequeat & ad exteriorem procreationem erumpere, interioribus absumpitur. Nec parum interfuerit, si plantæ aut arbores folijs fuerint parum viuacibus, ac minime benè coloratis; quin subpallidis potius, lividis, & deciduis; exilibusque, & bifidis truncis; atque superioribus præsertim ramis subnigris, aut certè præter naturam coloratis. Nam huius rei duplex est causa. Altera, quod materia, qua illæ sustentari & adulescere debuerent, interioribus absumpitur, antequam ad eas perueniant. Altera; quod plus æquo interior locus ferueat, multoque habitu ac fumo abundet. Quod fit, ut dum camporum ac reliquorum montium herbe primis albicant; & ea, quæ supra metallorum venas crescunt, aquis potius madeant. Calidus enim interior locus, halitusque calidus & siccus, aut prima concretionem impedit, aut concretam dissolvit. Quamquam nec plantæ desunt, quæ lapidum ac metallorum societate gaudeant. Et si adsint, latentes prodent thesauros. Inter has Hedera, Pinaster, Caprificus, Iuniperus, & alia quedam. Nimia quoque grauitas terræ, aut lapidum; nimius splendor, nimia soliditas, mineralis indicabunt materiæ, optimamque loci missionem; ob magnâ caloris & frigoris vim. Licet & odorem attritis duobus eiusque montis lapidibus considerare. Si enim sulphuris odor sit, indicium erit magni caloris, abudantis materiæ optimæque, imò nimis coactæ.

Tum verò aquæ, si quæ ex monte fluent, si odorem, aut colorem, aut laporem alienum habuerint: si in alvei fundo aliqua metalli, aut lapidis partes visæ fuerint, mineralem naturam manifestam faciunt. Ac demùm mons ipse, si rimosus fuerit, seipsum prodet. Nam eiusmodi fit, propter acres halitus, quos continet plurimos. Verùm de his nimis multa.

Hactenus igitur in mistis inanitis demonstratum est, quinque omnino substantiæ formas actu inesse; quatuor inquam elementorum fractas & permixtas velut materiam, & quintam superiorem integram, singulorum mistorum propriam. Ex quo planè coniciat, quemadmodum de viuientium corporibus philosophandum sit. Si enim verè conclusum est, elementorum temperationem ac permissionem consequi statim aliquam temperationi illi ac permissioni accommodatam substantiæ formam: quoniam materiam sufficienter dispositam necesse est formam substantiæ aliquam ingredi: ubi in viuientis corporis formatione ita virtute feminis præparatur materia, vt in plures partes distincta alio atq; alio modo singulari temperatae sint, negari non potest singulas hæc temperationes ac permissiones, singulas etiam substantiæ formas consequi; quibus carnem, os, neruum, & alias huiusmodi partes nominamus. Idque aduentum animæ. Quoniam vt materiam dispositam necesse est consequi formam; ita singulis formis certus est dispositionum modus à natura constitutus: minoreque indiget dispositione inferiori, quàm superior forma; formæ misti, quàm anima. Quemadmodum igitur prius suscipiuntur in materia dispositiones diuersarum harum partium, quàm animæ: sic necesse est prius formas illas produci, quàm accedat anima. Neque caro potest esse caro per animam, sed propria opus est forma: quia eum nondum dispositiones adfuerint animæ, anima ibi tunc esse non potest. Confirmat hoc id, quod Philosophus tradidit in cap. 3. lib. 2. de animal. ortu; hominem prius viuere vita plantæ, deinde animalis, cum hominis. Quoniam cum adfuerint prius dispositiones priorum animalium, prius eas produci oportet, quando posteriores produci nequeunt. Quò enim forma superior est & perfectior, eò meliorem materiam postulat; quia inter materiam & formam essentia proportio est, vt inter potestatem & actum. Verùm hinc aliud quoque ducitur argumentum. Consequens enim esse videtur, vt quemadmodum elementi forma, quæ primas solas qualitates in materia postulabat, simul cum qualitatibus & materia euadit misti formæ materia; sic misti quoque formæ cum elementorum formis temperatis materia sint superioris viuientis formæ: hoc est ante aduentum animæ reperiantur in materia, eamque aduenientem excipiant. Nam hac demùm ratione in omnibus naturæ operibus erit admirabilis planè ordo, summaque inferiorum cum superioribus copulatio. Quæ in eo consistit, vt inferiora à superioribus perficiantur, atque ab inferioribus superiora pendeant: & hæc quidem illis materiam præbeant, hæc verò actum illis & perfectionem vicissim adferant. Quòd si formæ omnes in prima materia immediate suscipiantur, nullus fuerit entium, ac perfectionum nexus; nulla simplicium corporum cum mistis coniunctio; nulla mistorum inanimorum cum viuentibus copu-

latio; nulla pendentia vnus ab alio; nulla inter materiam & formam proportio; si vilissima quæque ac sordidissima materia omni ornatu ac perfectione spoliata cum qualibet nobilissima possit vel animata forma conciliari.

Sic igitur statuo. Magnus primùm formarum delectus habendus est, vt intelligatur, quanam formæ, & quomodo inter se ordinantur. Ego verò duplicem in illis ordinem animaduerto. Alterum in ratione materie. Alterum in ratione formæ. Aliæ ad alias ordinantur, vt materia ad formam; aliæ, vt actus imperfectior ad alium perfectiorem. Tãquam materia & potestas ad actum & formam ordinantur eæ omnes, quæ cum nullum inter se habeant ordinem, nullum nexum; necessaria tamen sunt velut materia, materiæ dispositiones ad aliam formam suscipiendam & conseruandam. Id tum in artibus perspicies, tum in natura. Ex præceptis artis poliuntur lapides, & figura quapiam vt forma afficiuntur; vt materia sint ad extruendam domum accommodata; eamque figuram non amittunt, sed maximè retinent in ædificiis, dum forma domus accedit. Dolantur item ligna; aut alia quævis materia, dum ab artifice tractatur, formam aliquam induit; quam perpetuò in artis opère conseruat. Scimus etiam totam penè naturam eodem modo cum arte comparari, vt materiæ vim habeat. Artis enim materia sunt naturalia corpora. Quæ dum formam arte partam suscipiunt, naturalem non abiiciunt. Nec perit lapidis forma, ligni, æris, argenti, auri; dum ex illo quidpiam per artem efficitur. Immo nisi hæc omnia naturæ formam diligentissimè tuerentur, artis forma nequaquam accederet.

In ipsismet naturalibus hoc idem facillè animaduertas. Principes quatuor qualitates, calorem, frigus, humorem, & siccitatem, formas esse quædam certum est; sed accidentarias: neque inter se villo modo ordinatas, sed ad elementi formam. Ad eam porrò ordinantur, velut materiæ dispositiones ad illius productionem in primis necessaria. Quare nec virtute continentur in forma elementi, nec ea adueniente recedunt, sed cum illa semper persistunt. Quoniam & materia, & dispositiones eius non solum debent excipere, sed retinere quoque & conseruare formam: neque recipi modo, sed & conseruari oportet ignis formam in materia calida & sicca. Iam quatuor elementorum formas non ignoramus inuicem non ordinari, sed ad formam misti: eumque ordinem non esse tanquam inferioris formæ & superioris, sed velut materiæ & formæ: quoniam simplicia hæc corpora ad misionem apta, & idèò pugnacibus qualitatibus instructa, fuerunt à natura instituta tanquam mistorum corporum materia. Quapropter, vt antea ratio cinabamur, nisi materiam dicas perire adueniente formæ, quæ debebat illam perficere; materiamque virtute contineri in forma: nec dici potest elementorum formas interire, dum misti forma producit, aut eam in illa contineri virtute. Quin potius vt elementi forma actus est materiæ primis affectæ qualitatibus; sic misti formam oportet mistam materiam actuare. Nam nec artis forma potest esse actus nisi materiæ naturali forma actuata; aut etiam alia quapiam artis forma.

Formas porro mistorū, quæ tam multæ sunt ac
tãtoperè inter se diuersæ, quis dicat esse inuicè or-
dinatas? Omnes potius superiorè aliam respiciūt,
quæ est anima. Verùm hic ordo alius nõ est, quàm
materiæ ad formam. Quod tum ex eo colligitur,
quòd omnes nullum inter se ordinem seruant, si-
cut nec primæ qualitates, nec elementorum for-
mæ; sed solùm superiorè aliam spectant. Tum
quia nisi superior accedat forma, dissoluuntur
& pereunt: quasi non essent propter pro-
priam suam perfectionem in materia positæ; sed
tanquam alterius materiæ, materiæ uero ad melio-
rem formam dispositio. Propterea nusquam appa-
rent solitaria & per se, sicut forma auri, argenti,
lapidis, & aliorum mistorum; quæ & per se exi-
stunt, & speciem constituunt, in qua conseruentur.
Sed simul iunctæ sunt & copulatæ, & caro, &
os, & neruus, & aliæ his similes; sicut elementa
in misto (etsi non tantoperè permixtæ & tempera-
tæ) tanquam disponentes materiæ ad superio-
rem formam. Hinc est, quòd anima dicitur esse
actus corporis solùm organici. Cum enim ea di-
stinguatur à corpore, ut forma à materiæ: non qua-
uis materia, sed pluribus huiusmodi formis distin-
cta & præparata, proprium illius subiectum est.
Quare & antecedere debet animam, & cum ea re-
manere; sicut materia cum ea permanet forma, à
qua actuatur & perficitur. Ut quemadmodū pri-
ma materia nuda cum quantitate primas suscipit
qualitates, & cum illis est elementorum materiæ;
& rursum cum elementorum formis materia mi-
storum: ita cum his ipsis formis sit uiuentium ma-
teria: & ita quidem ut sicut elementorum formæ,
dum ita miscentur & confunduntur, ut suos actus
distinctos & perfectos non retineant, materiæ ef-
ficiūt inanimati misti prorsus homogeneæ; quoniã
ea forma unicum habet operandi modum: ita hæ
formæ mistæ suos actus perfectos & minimè per-
missos retinentes eterogeneum corpus consti-
tuunt, quòd plurimas in eo anima operationes sit
habitura. Quam item ob causam plures multò in
animalibus sunt eiusmodi partium formæ, quàm
in plantis; quòd plures sint operationes.

*Vna in
singulis
anima.*

Cùm igitur animata forma sit omnium nobilif-
sima, organicaque materiæ perfectissima; quem-
admodum elaboratio materiæ finem habet in or-
ganico corpore, atque in eo solùm latitudo quæ-
dam cernitur perfectioris, aut imperfectioris or-
gani rationis. Ita primus formarum ordo in ratio-
ne materiæ non ulterius progreditur (etsi secus
omnino Philoponus senserit in comment. text. 91.
libri 1.) quòd disposita iam sit materiæ omnium
perfectissima, in qua diuinissima omnium forma
suscipiatur. Alter deinceps sequitur ordo, qui est
in ratione formæ, atque inter duas solùm formas
versatur, quarum vna inferior sit & minùs perfe-
cta, altera superior & perfectior. Neque altera
supponatur ab altera, ut antecedens materiæ di-
spositio; sed ut gradus, per quem natura ad con-
sequentem ascendat formam. Quoniam enim na-
tura non statim summum assequitur, sed ab imper-
fectioribus ad perfectiora sensim prouehitur: atq;
à magis generalibus ad ea, quæ sunt magis specia-
lia & determinata: principium facit ab ea forma,
tanquam à perfectione natura priorè & magis ge-
nerali; quæ mox per subsequentem alteram con-
trahi, determinari, & magis perfici debeat. Hunc
ordinem omnino reperias in animarum genere,

A vegetante, sentiente, intelligente. In quibus ea,
quæ est posterior, priorè quidem supponit: at
non tãquam materiæ, materiæ uero dispositionem.
Tum quia in ratione formæ & actus singulæ sunt
perfectæ, nec aliam respiciunt formam, ut pote-
stas, & materiæ. Tum quia qualibet anima, ut est
anima, non supponit tanquam materiæ nisi cor-
pus organicum diuersis mistionum formis excul-
tum. Immo in communi omni animæ definitio-
ne, qua dicitur esse actus corporis organici pote-
state vitam habentis, quæuis alia anima videtur
excludi. Nam si vna aliã supponeret, aut ad illam
ordinaretur, ut materiæ ad formam; vegetans qui-
dem anima esset actus corporis potestate vitam
habentis, at non item sentiens, & intelligens. Sed
illa quidem actus corporis actu vitam habentis,
hæc autem actu & vita & sensu pæditi. Non secus
atque elementis forma est actus materiæ primis
qualitatibus affectæ, mistique forma materiæ ex
elementis permixtæ, ac demum vegetans anima
materiæ diuersis mistionum formis distinctæ. Vna
igitur anima supponit aliam, non ut forma mate-
riam; sed ut superiorè & perfectior forma interio-
rem, minusque perfectam: & ut superior gradus
ad quem non nisi per inferiorè perducitur natura
potest. In iis autem, quæ hoc modo se habent, ne-
cesse non est id, quod est inferius, conseruari simul
cum superiori. Sed postquam suo munere peritū-
tum est, ut nature præbuerit gradum ad id, quod
est perfectius, abire licet.

C In his etiam potest vnum virtutè alterum con-
tinere: Quia in eodem genere ordinatur, hoc est
in genere actus & formæ: & idè perfectior forma,
quæ accedit, præstare potest quidquid ab imper-
fectiori tribuebatur. In iis namque, quæ in eodem
genere essentialiter ordinantur, id, quod superioris
est & perfectius, totam semper habet inferioris &
imperfectioris perfectionem: aut aliquid amplius.
Quod in causis efficientibus perspicuum est. In
diuersis autem generibus, ut materiæ & forma,
prorsus id esse nõ potest: quoniam diuersorum
generum perfectionem significant. Nec vllius di-
xerit, formam, etsi melior sit, quàm materiæ, con-
tinere illius perfectionem: aut finale causam
efficientis causæ virtutem. Et idè in prioribus
formarum genere, quæ tanquam materiæ & for-
ma ordinantur, virtualis illa continentia locum
non habet. Itaque concludere licet, quasdam esse
formas, quas in compositis substantiis necesse sit
multiplicari: alias, quæ plures esse non debeant.
Ut enim materiæ conditio postulat, ut semper si-
mul cum forma permaneat, eam sustentet, entia-
tatemque & partem rei à forma diuersam signifi-
cet: ita perfectioris formæ natura est, ut meliori
modo deteriorè contineat, & eiusdem generis
perfectionem maiorem tribuat. Quapropter ut in
illis est multitudo, sic in his vnitatem esse oportet,
ne qua earum frustra sit, dum superior totam
imperfectioris perfectionem adfert. Quæ si à me
non minùs verè excogitata, quàm diligenter ex-
plicata fuerunt: verissimè quoque fuerit affirmatum,
plures esse in viuentibus substantiis formas
diuersarum corporis partium proprias, vnitam
autem animam, velut totius speciei formam; in
plantis vegetantè; in bestiis sentientem, quæ ve-
getantem, in homine intelligentem, quæ & vege-
tantem & sentientem virtute contineat. Verùm
vtramque sententiæ partem pluribus confirmabo.

Cur formas diuersarum partium in viuente corpore admitam, immo admittendas esse contendam, facit potissimum illa ratio, quam exposui. Exiis enim coalescere oportet organici corpus, velut materia actuanda ab anima. Et ideo tandiu eas manere oportet, quandiu anima est in corpore. Hoc enim ad materia naturam pertinet. Huc spectat illud, quod in tex. 28. & 29. lib. 8. phys. legitur; Viuentia sola mouere seipsa. Quonia cum omne, quod mouetur, ab alio moueatur; viuentia partem habent per se mouentem, & partem per se motam re distinctas; animam scilicet tanquam nauam, & corpus tanquam nauim. Et ideo possunt tota seipsa mouere; quoniam vtramque partem habent actu, & alteram distinctam ab altera. Vtramque autem partem debere esse actu, certum est. Partem mouentem; quia omnis motus & actio ab actu oritur. Partem motam, quia vt est in tex. 7. & 8. lib. 5. phys. hoc distinguitur motus ab ortu; quod id, quod mouetur, est actu; quod oritur, non actu, sed potestate. Propterea elementa non ita dicuntur a seipsis moueri, quia non habent vtramque partem actu, cum diuidantur in formam & primam materiam, quae potestate est. Et in anima mixta, etsi aliam habeant formam ab elementis distinctam; non tamen ab illa, sed a dominante elemento mouentur. Si igitur viuenticum corpora, quae mouentur ab anima, actu sunt & re ab ea distincta, necesse est ea esse actu per aliam formam distinctam ab anima; hoc est per haec partium formas, quibus totum corpus constat. Accedit illud, quod in cap. 4. lib. 3. de Partibus, & cap. 4. lib. 2. de ortu animal. & aliis in locis affirmatur; cor primum omnium partium gigni. Aperte enim significatur, in animalis corporis fabricatione plures esse partiales generationes, quibus diuersae in diuersis partibus formae gignantur; quas animae tandem productio subsequatur a formarum illarum productione diuersa: eaque viuens corpus constituitur, sicut prioribus singulari partes fuerant constituta.

Iam qui eas affirmant, dum accedit anima, momento temporis interire; nequaquam cum ratione loquuntur. Cum enim in earum productione tanquam materiae ad animae productionem necessariae tandiu natura laborauerit; qui credi potest eas tunc aboleri & destrui, cum id praestare debent, cuius gratia productae fuerunt; vt animam velut materiae apparatus suscipiant. Neque enim si remaneant, erunt otiosae; immo necessario maxime munere fungentur. Neque omnino interire possunt. Tum quia in anima, quae succedit, nequaquam virtute continentur; quoniam diuersi generis sunt; neque forma continet materiam. Tum quia, vt est in tex. 59. lib. 6. phys. quod corrumpitur, antea corrumpitur. At antecedenti toto tempore organizabatur corpus, & partium omnium ac membrorum distinctione formabatur. Quo igitur modo vitimo illo momento, quo sunt productae, corrumpuntur? An non scriptum est in tex. 63. lib. 8. eiusdem operis, absurdum esse existimare naturam producere quidquam, vt statim destruat? Macula, si quae facti fuerunt impressae; aut ex matris imaginatione; aut ex materiae confusione, aut ex alia quavis causa, post animae aduentum adhuc conspiciuntur; idemque videntur habere subiectum.

Hoc ipsi ex interitu, animaeque a corpore discessu colligas. Primum enim vt diuersa fuit animae,

formarumque illarum productio; ita non idem est omnium interitus. Nam interitus animae est mors, quae natiui caloris extinctione, humidique primigenij consumptione fit. Partium autem formarum putredine pereunt; hoc est elementaris caloris extinctione a circumiecti corporis calore destruantur. Neque potest vterque calor simul perire. Quoniam is, qui elementaris est, non nisi putrescendo perit; totumque viuents corpus, quandiu viuunt, putrescere omnino non potest: quoniam natiuus calor elementarem magnopere tuetur, ne totus ab exteriori calore educatur. At eo per mortem extincto, hic quoque facile superatur & putrescit. Alius igitur est animae interitus, alius corporis & illius partium. Et ideo primum moritur & recedit anima; deinde omnes quoque illae partium formae intereunt, totumque corpus dissoluitur & putrescit. Quoniam antea quidem, dum adfuit anima, necessariae fuerunt: deinde vero inutiles profusus essent.

Sed credi omnino non potest, momento vitico, quo abit anima, formas eas omnes de nouo produci, quae post illius discessum conspiciuntur in corpore superesse. Neque enim vlla est agens causa, a qua producantur: nec eas produci opus est, cum vllam amplius operationem habiturae sint. Quorsum enim producatur forma nervi, qui nec mouere amplius debeat, nec sentire? Quorsum arteria, si nullus futurus pulsus? Quorsum in eo corpore vena, quod nec sanguinem habeat, nec nutritionem? Quorsum reliquae omnes partes, quae putrescent citius, quam vllus earum vsus existat? Sensus certe nullam in eo animali aliam indicat factam fuisse mutationem, quam quod recedente anima natiuus abiit calor, aut aliud huiusmodi accidens. Eadem autem numero esse formam, quae & antea habebat animam & calorem, & inuicem mortua iacet & frigida. Quod si eadem numero sit caro, eandem necesse est habeat formam: non animam, sed aliam illi propriam. Qui ergo eam non esse carnem affirmant, sed cadauer, cum sensu & ratione manifeste pugnant. Sensui aduersantur; quia is eandem esse carnem indicat. Rationem autem abiiciunt, quoniam nulla est operatio, ex qua cadaueris illa forma concludatur: nulla agens causa, a qua producatur: nulla productionis necessitas; cum animalis corpus vniuersum ad interitum ruat. Deinde etsi ea produceretur, carnis tamen, ossis & aliarum partium naturam dare non posset: quod haec formae ad illam non ordinantur, sed solum ad animam, formam penitus cadaueris formae contrariam. Sane vt mors nihil est aliud, quam vitae priuatio & absentia animae, quae vitam, sensum, & motum praestabat: sic esse corpus mortuum, seu cadauer, nil aliud significat, quam corpus animae, vitaeque spoliatum. Solam igitur priuationem significat forma cadaueris: corpusque illud, quod cadauer appellatur, corporis habet & omnium partium naturam; non a cadaueris forma, sed ab iisdem formis illarum partium propriis, quae abeunte anima superstitibus adhuc sunt, quousque penitus dissoluantur. Neque enim credendum est formam illam, quam isti introducunt, viliissimam, inertissimam, omnique operatione destitutam, in eiusdem corporis possessionem succedere, quae propria fuerat animae, nobilissimae formae, atque ad omnem operationis genus solertissimae. Corporis inquam organici, quod ad plurimas operationes exercen-

das omni organorum genere instructum est. Non magis mihi persuadebit quisquam, eam posse dare materiam naturam carnis & ossis, ac ceterarum partium, ut dabit animam; quamque esse vim & potestatem abiectionis formam, ac diuinissimam. Præsertim cum in animam omnia sint homogenea, formaque omnis inanimata homogeneæ materię actus; & natura illa partium vniuersa & singula ad functiones plurimas ordinentur, quarum nullam efficere potest forma cadaveris. Libet etiam sciscitari, qui fiat, ut partium formæ tam citò pereant, totumque corpus breui tempore dissoluatur. An non adfert forma perfectionem & conseruationem suæ materię, formaque totius formis partium potius, quam dissolutionem & interitum? Deinde cum non omnes partes simul putrescant; sed aliæ citius, quam aliæ; qui credi potest vnam esse totius illius corporis formam? Et non plurium potius congeriem, quæ antea quidem ab anima vnitatem habebant, ab eaque plurimum fouebantur atque à putredine conseruabantur; post verò soluta sunt & interitui prorsus obnoxia.

Sed quæso vos, qui sine summa necessitate minime vultis entia multiplicari; quid vos coëgit nouam hanc, inertem, otiosam, & inutilem entitatem inuehere? quam multas genitas formas atque intricatas? quam multas genitas formas atque corruptas? non sine summo dolore, & gemitu totius naturæ. Vultis in fœtus formatione membra omnia paulatim disponi, partiumque formas suscipere. Sed eas omnes paulò post accedente anima, quæ illas debuit actuare, perficere, animare, iisque ad operandum uti, penitus aboleri contentis; tum verò anima recedente alias illis similes produci affirmatis, quæ non multò post putrescente cadauere extinguantur. Quid opus est tot mutationibus? Videtur mihi natura vestro sermone leuis, inconstans, & insipientis: quæ idem sæpius efficiat & destruat. An non satius est dicere, easdè illas formas, quæ tanquam animæ materia productæ fuerant, aduenientem illam suscipere, cum ea permanere, illique in omni operatione famulari? Tum verò ea recedente solitarias tantisper subsistere, quousque paulatim destruantur; præclare nimirum utroque illo, quod explere debuerunt, perfectas munere; ut & materia esset, & instrumenta animæ ad operandum. Neque enim abeunte anima forma vlla noua producit. Sed perinde est, ac si produceretur. Quoniam illa ipsa formæ, quæ antea materię locum tenebant, mox subeunt formæ locum, materięque speciem tribuunt: ut verè dici possit mutatum compositum, vnoque pereunte genitum aliud fuisse. Iaceat igitur isthæc forma cadaveris, nec eius nomen in schola peripatetica audiatur. Ea iacente partium formæ stabunt, post animæ discessum in corpore superstites tantisper, dum ipsæ quoque dissoluantur.

Atque huc demum spectant Scoti omnia & discipulorum eius argumenta. Primum quia anima dicitur esse actus corporis potestate vitæ habentis. Si enim ea distinguitur à corpore, illique aduenit: necesse est animæ subiectum sit corpus, antequam accedat anima. Alioqui si ea esset actus corporis, quòd prius det esse corpus, quam esse animatum; elementi quoque forma, quæ prius dat materię esse corpus, quam esse ignem, aut aliud elementum, non minus corporis actus esset. Deinde quoniam in animali mortuo eadem figura remanet,

A totius corporis conformatio, eademque prorsus accidentia. Tum verò motus canis ex alta turri cadentis, & in medio itinere morientis, vnus est ad terram vsque continuus; debet igitur vnus habere subiectum. Hoc non est sola materia; quoniam ea, ut non est ens actum, ita subiectum motus esse non potest. Erit igitur in materia forma quæpiam, quæ subiectum idem conseruetur, etiam si pereat anima. Accedit anima intelligens; spiritalis forma & impartibilis, quæ corporeum esse non dabit: præsertim cum in schola S. Thomæ forma corporis principium sit recipiens quantitatem. Nam si hæc anima daret esse corpus, ea nimirum principium esset recipiens quantitatem: & ideo extenderetur cum corpore, effectque partibilis & mortalis.

B His ex sacra philosophia duo adduntur argumenta. Alterum; quòd Christi seruatoris nostri corpus tribus diebus iacuit in sepulchro. Quo tempore non fuit sola materia, quòd eam discipuli S. Thom. ne diuina quidem potestate credant posse esse sine forma. Si igitur aliquam habuit formam, ea non fuit forma cadaveris de nouo producta, quia non fuisset idem corpus; siquidem mutata forma vnitas quoque rei mutatur. Quòd si aliqua fuit forma, quæ antea esset in illa materia; neque hæc fuit anima, quoniam ea tunc erat à corpore separata; relinquatur aliam fuisse formam, quæ daret esse corpus.

C Alterum huic simile argumentum deducitur ex sanctissimo Eucharistia Sacramento. Etenim ex vi verborum consecrationis transubstantiatur panis in corpus Christi. In corpus, in quæ, quòd non sit corpus per animam. Tum quia, si quis in illo triduo consecrasset, quo anima fuit à corpore separata, consecrasset corpus sine anima. Tum quia ex vi verborum non consecratur nisi corpus sub specie panis; anima autem per concomitantiam, ut in scholis loquimur. Tum demum quia verba illa efficiunt id, quòd significant: corpus autem quæpiam significat ab anima distinctum.

D Hæc inquam omnia non tam probant formam illam totius corporis, quam ipsi sinxerunt, quam hæc singularum partium proprias, ex quibus conficitur organicum corpus, cuius actus sit anima. Propter illas eadem figura & accidentia post animæ discessum in corpore remanent. Immo huic potius colligitur, præter has nullam esse formam illam totius, quam ipsi addit. Quoniam si ea esset, diutius multò corpus illud cum eadem figura, indidemque accidentibus conseruaretur. Nunc autem citò dissoluitur; quia nihil est, quòd partium illas formas foueat & custodiat.

E In motu canis, quem proponunt, idem semper subiectum; quia idem corpus propter hæc partium formas, quæ corpus actum perficiunt. Sed eo argumento manifestè concluduntur plures in viuentibus substantiæ formæ. Non enim proficietur is motus ab anima. Tum quia proprius animæ motus est incessus. Tum quia non minus mouentur eo motu animalia mortua, quam viuentia: neque dum viuunt secus mouentur, quam terra & inanimata quæuis corpora. Tum quia animæ potius repugnat is motus; sitque grauitate, quæ animæ fatigationem adfert. Et tamen ab interitui principio nascitur: quia non vi, sed sponte cadunt deorsum: ab alia igitur forma distincta ab anima.

Iam quòd de intelligente anima adfertur, est necessarium

cellarium eandem formarum argumentum. Ea enim incorporea cum sit & abstracta, non potest dare esse corporeum, aut facere corpus: quippe corporeum & incorporeum pugnantibus sunt differentia, quae substantiam, aut ens diuidunt. Et cum gradus illi, qui mente in eadem forma distinguuntur, metaphysici sunt; materiaeque formatio per entitatem formae realem fiat: nisi substantia realis animae sit corporea, omnino non dabitur esse corporeum. Adde, quod esse corpus ordinatur ad animam, ut materia ad formam; estque ex eo formatu genere, quas ostendi minimè contineri in essentia animae, sed ab illa supponi & actuari. Nisi igitur in homine praeter intelligentem sit alia forma corporea, non erit cum animalibus ceteris synonymè homo corporeus. Haec enim tum ratione materiae, tum formae corporea sunt; homo ratione solius esset materia: qui tamen sub eodem substantiae corporeae genere continetur.

Postremo duo illa de Christi corpore argumenta id ipsum demonstrant. Nam sola anima separatè numero corpus exanime iacuit in sepulchro, quod materia & partium formis constabat. Atque in Eucharistia ex vi consecrationis in illud corpus Christi mutatur panis, quod anima subiectum est: hocque est corpus organicum partium formis distinctum. Atque ex hoc capite virgeri magis discipuli S. Thom. possunt. Etenim veteres SS. PP. & Ecclesia vniuersa semper docuerunt, corpus Christi, quod hoc sacramento continetur, esse idem numero, quod fuit acceptum ex virgine, quod cruci affixum, quod iacuit in sepulchro, quod Pater à mortuis suscitauit. At certum est, neque intelligentem animam, neque cadaueris formam, aut assumptam fuisse ex Virgine, aut affixam cruci, aut animam illam positam in sepulchro, ex eòve reuocatum. Per aliam igitur formam corpus illud fuit corpus; eademque semper perseverauit, ut idem esset corpus.

Et quoniam naturalis philosophia optimè eum diuina consentit, cum ab eodè auctore Deo & natura lumen profectum sit, quo naturalis cognitio paritur; & reuelatum quo diuina & sacra sustentatur: debetque Christianus philosophus reuelato lumine imbecillitatem naturae subleuare: non verebor hoc loco alterum haud dissimile argumentum ex Sanctorum reliquiis petere. Quas propterea summa veneratione colimus, quod corpora sunt, aut corporum partes sanctorum virorum. Oportet enim aliquam in illis praeter primam materiam inesse substantiae formam, quae idem numero corpus, eademve pars esse dicatur. Ea non est anima, quia corpus exanimè neque cadaueris forma; tum quia nulla est; tum quia si non sit eadem numero forma, nec esset idem corpus. Neque dicendum est solam esse primam materiam cum accidentibus: quoniam materia sine substantiae forma aut omnino esse non potest, ut opinatur schola Sancti Thom. aut non his per summam Dei potestatem, quod perpetuum esset miraculum. Deinde cur caro putrescit, os & neruus conseruantur? Tum verò idem os, aut neruus conseruantur quae post animae discellum relicta sunt. Quo tempore non solam fuisse materiam, restat ea partes, quae dissoluntur, & putrescunt. Non enim putresceret, neque corrüperentur, si materia sola constarent. Deniq; non magis cõseruan-

tur ossa & nerui sanctissimi cuiuspiam viri, quam perditissimi cuiuscumque, aut etiam bestiarum: in quibus sanè dicendum non est, materiam cum solis accidentibus esse. Quid enim opus est ea sic per miraculum conseruari?

Ceterum prior haec pars sententiae, quae partium formae continentur, satis est explicata. Soluenda essent Thomistarum argumenta, quibus impugnari ea videntur. At horum pleraque superius soluta sunt, vbi elementorum formas in corporibus mixtis actu inesse demonstrauit. Eadem enim illa argumenta in vtramque difficultatem intrudunt. Illa videntur esse huius loci propria, in quibus essentiae rerum dicuntur esse sicut numeri in textu 10. lib. 8. metaph. formaeque proprium facere hoc aliquid in textu 2. huius libri. Sed idè rerum essentiae cum numeris comparantur, quod ut numerorum species in certa quadam vnitate collectione, sic illa in graduum generis & differentiae copulatione versantur. Atque ut in numeris addita, vel detracta vnitate, ita in essentia mutata differentia mutatur species. Deinde ut antecedens numerus subordinetur consequenti, ut illius quasi materia euadat atque ab illo accipiat speciem & actum; sic antecedentes formae subordinantur consequentibus, materia illarum fuit, speciemque & actum ab illis habent.

Vnaquaeque item forma facit hoc aliquid & substantiam compositam, quae per se subsistat, & sensibus demonstratur. Ita sanè res habet, dum partium formae per se considerantur. At comparatione animae, materiae, non formae, vim habent; animaque, ut superior forma, facit hoc aliquid.

Addam & illud, quod nobis saepe inculcant: Vnius rei vnum est esse. Sed ut aliud est esse carnem, aliud os, aliud animatum, aliaque horum singulorum essentia; sic aliam oportet esse formam. Et cuiusque rei per singulas formas constituta vnum est esse, vna natura, vna essentia, vnum graduum connexio, vna definitio. Vbi verò plures coeunt huiusmodi formae, vnum est esse vltimum, quod dat speciem; reliqua generalia sunt, & cum aliis communia, quaeque materiae locum habent. Quare, ut genus & differentia, materia & forma, etsi diuersa esse significant; simul tamen possunt in eadem specie, compositaue substantia reperiri: sic sanè poterunt & plures huiusmodi formae: quarum aliae generales sint & velut materia, vna verò vltima, velut specifica & formalis. Ita optimè sese habent omnia: atque in essentia omnibus, tum metaphysicè, tum physicè consideratis; & rursus in his, tum simplicibus, tum mixtis, tum animatis; partes omnes conseruantur & in illis re ipsa in sunt, quandiu ipsae sunt, quae ad singularum procreationem & constitutionem conuenerunt. Substantiae autem per vltimam speciei formam constituta nil amplius substantiale aduenire potest sed quidquid aduenit, est accidens. Deque hoc vltimo actu speciei intelligenda est vulgata propositio ex Auer. desumpta in comment. 63. lib. 1. physic. Quidquid aduenit enti in actu, est accidens.

Maiorem fortasse difficultatem pariant duo alia Arist. loca. Quorum alter est in textu. 58. lib. primi huius operis; vbi animam non esse har-

mo-

mo-

niam, aut proportionem principum qualitatum, hoc argumento conficit; quod tot essent animae in corpore, quot partes. In qualibet enim parte est qualitatum permixtio. At non minus absurdum videtur plures partium formas ponere, quam plures animas. Alter in textu 9. libri secundi ubi oculum scripsit omonymè oculum appellari postquam abiit anima: quasi non eandem retineat formam, quam antea habebat.

Vtriusque loci explicatio perfacilis est. Prioris quidem; quoniam non eadem est animae & formarum partium ratio. Anima, cum sit superior forma, vltimaque speciei perfectio, quae cuique rei naturam suam adfert, & quodammodo vnit, ac plures partium formas continet; vnica in toto corpore esse debuit. At partium formas, quae materia vim habent, & eterogeneum, atque organicum corpus faciunt, plures omnino esse oportuit.

Posterioris autem; quia non appellamus oculum, aut aliam huiusmodi partem omonymè, propterea quod propria illius partis forma careat. Immo dum eam conferuari contendimus, synonymè carnem, aut os nominamus, dum solam partis naturam consideramus. Verum dum haec partes, & multò magis organica membra, vt oculus, cõparatione animae considerantur; propter quam velut instrumenta fuerant comparata; seu organici & animati corporis, cuius erant partes ad operandum instituta: omonymè proflus dicuntur. Quoniam recessit forma, quae operari debebat. Hoc significauit Philosophus in textu. 35. libri 7. Metaph. cum digitum mortuum & priuatum anima, quae illum mouere debuerat, omonymè dixit animalis digitum appellari: quoniam scilicet animalis formam non habet. Dicuntur etiam omonymè, propter actum secundum & operationem, qua ampliùs non participant. Cum enim propter operationem fuerint comparata, abeunte operandi principio stolidae remanent, nec operari possunt. Et figuram quidem ac speciem instrumenti habent; sed operationis instrumenta esse nequeunt. Sicut homo pictus aut lapideus speciem hominis habet, sed ratiocinari & operari vt homo non potest. Hoc voluisse Philosophum in textu illo citato, facile cognosces ex superioribus verbis, quibus de instrumento & securi loquebatur. Sicut etiam in textu 39. libri 7. Metaph. eam duntaxat manum affirmauit partem hominis appellari, quae operari & actionem suam promere potest. Vtramque porò interpretationem paucissimis verbis complexus est in cap. 1. libri 1. de part. animal. mortuum hominem inueniens omonymè esse hominem; tum quod careat anima, tum quod anima operatione priuatus sit, propter quam totum illud corpus extractum fuerat. Venio ad alteram sententiae partem, qua vnica in viuentibus singulis animam tanquam totius formam, quae speciem det, esse pronuntio. Hoc ita esse multa testantur. Primum; cum animae inter se ordinentur in ratione formae & actus, quemadmodum antea explicauimus in eodem proflus genere ordinantur, eiusdemque generis perfectionem significant. Itaque ea, quae superior est & perfectior, inferiorem & imperfectiorem virtute continet: easque multiplicare superfluum est. Deinde manifestum est, in eodem viuente actiones animae

*Membra
mortua
omonymè.*

*Vnica
vnica
viuentis
anima.*

A sese vicissim impedire. Quoniam vehemens & attempta contemplatio sensationem & vegetationem minuit: haec rursum illam impediunt: Vnicum igitur illarum omnium principium est. Propterea enim impediuntur, quod anima vni operationi valde intenta nequaquam potest magnopere in alterum incumbere. Quod si plures essent animae illarum principia, dum vna vni operationi vacaret, altera posset alteram perfectè exequi. Accedit, quod si plures in homine sint animae re ipsa distinctae, separari potest ea, quae intelligit, ceteris conseruatis: nec à Deo solum, sed naturalis quoque agentis actione; si solae illius animae dispositiones destruantur, non item reliquarum. Immo in morte naturali id re ipsa contingit; quia cum perfectior sit superioris, quam inferioris animae dispositio, vt ad illam sensum progressa est producendo natura, ita paulatim ab illa recedit demoliendo. Primum igitur ab homine intelligens anima recederet, dispositionibus eius abolitis; deinde sentiens, tum vegetans: tempore scilicet procedente quemadmodum de productione Philosophus loquebatur. Neque in homine modo, sed in bestiis quoque tolli possent sentientis animae dispositiones, non item vegetantis. Viueretque homo separata intelligente anima; bestiaeque post sentientis animae extinctionem.

C Ita ter homo, bis bestia moreretur. Quod enim conati sunt aliqui respondere, mortem solius esse vegetantis animae destructionem; planè falsum est; quia etsi huic animae peculiari quadam ratione vita & mors tribuantur: sicut tamen reliquae item largiuntur vitam, vt ex textu 13. perspicuum est: ita illarum discessus, seu extinctio mors erit. Deinde quari potest, quanam planta esset illud anima, quod vegetaret duntaxat; & quodnam animal homo, vbi discessit intelligens anima. Necessè enim est, aut esse genus à singulari speciebus separatum; aut aliquam speciem nominare poterit. Intelligens nequaquam erit, quod intelligente anima priuatum est; nec alia species nominari potest, eodemque modo peruenit anima sentiente dicat de planta. Illud verò non leue est argumentum; quod in textu 24. procreationem sibi similis scriptum est perfectissimam esse operationem perfectorum duntaxat propriam. Vegetans igitur anima, cuius ea operatio est, perfectior esset in bestiis, quam ea, quae sentit; si essent ambae in eo animalium genere. Et in homine item perfectior esset intelligente. Ea enim esset, quae similem procrearet; non sentiens, aut intelligens. At quomodo posset anima vegetans in bestiarum genere animal procreare, aut in humana specie hominem? Nos enim qui vnica in his viuentibus animam ponimus, id propterea fieri respondebimus, quoniam in bestiis vegetans eadem est cum sentiente, & in homine eadem cum intelligente. Ideò in illis sentientem procreat, in hoc disponit materiam, & corpus aptum format, ad eam, quae intelligit, suscipiendam.

Quod autem ad Aristotelem spectat; is pluribus in locis sentire visus est vnica esse in vno viuente animam. In textu 38. primi libri animam probauit harmoniam non esse, quia plures essent in eodem corpore anima. Et in textu 90. & 91. Platonem reprehendit, quod in vno corpore tres animas poneret. Etsi enim de ea sola multitudinem animarum vtrobique loqueretur, quae in aliis argue

atque aliis corporis partibus residerent: earum tamen vnitati fauere videtur: & facilius fortasse plures in pluribus partibus subiectis, quam in vna parte, eodemque loco concessisset. Addunt plerique textum 31. huius secundi libri, vbi in anima posteriori, priorem dixit potestate contineri, vt in figuris res habet. Sed neque eo loco de animabus, sed de facultatibus est sermo. Neque ex eo loco quidquam colligi posse, quisque sit legitimus illorum verborum sensus, in commentario ad eum locum exponam. Quin potius, cum ordinare vellet & disponere animas facultates; vt superior sine inferiori esse non posset: si de animabus verba illa intelligantur, contrarium potius concludetur: esse inquam duas in bestiis animas, tres omnino in homine. Magis sententia nostra fauere videtur initium libelli de Iuuentute & Senectute; Quo loco per vnam & eandem rem dicitur animal viuere & esse animal. Sed ne hic quidem locus est satis manifestus. Quia non est sermo de anima, sed de corde; quod tam vita, quam sensus, principium esse affirmatur.

Ex duobus igitur locis Philosophi sententiam hac de re verius colliges. Alter est in textu 65. lib. primi, in quo, vt intelligentem animam incorruptibilem esse ostenderet, hoc vsus est argumento. Si ea vnquam corrumperetur, maxime ab ea corrumperetur, quae est in senio, debilitate: at ab ea non corrumperitur: quoniam si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis. Anima igitur nihil passa est, neque debilitata, sed solum corpus & anima instrumentum. Nam dum visionem, aliaque sensuum functiones accipit ab intelligente anima, non a sentiente, in homine proficisci: nimirum eam existimauit vnicam esse in illo animam.

Alter locus est in hoc secundo libro; vbi animam definiuit esse actum corporis potestate vitam habentis. Si enim vt antea quoque adnotauit, ea sit vera anima definitio: omnem profecto animam iudicauit corpori organico immediate aduenire, quod vitam nondum participet, nec villam habeat animam, sed potestatem ad illam. Quod si ita sit, sola illa erit illius corporis actus.

His duobus locis addendus est ille in secundo libro de animal. ortu capite quarto, vbi de diversarum corporis partium formatione prima differens, exemplo primum explicat prudentis patrisfamilias, qui optimum cibum liberis dat, deteriorum seruis, vilissimum animalibus. Deinde argumento sumpto ex nutritione & accretione iam formati ferus; Vt, inquit, ex meliori aut minus bona substantia magis, aut minus praecipuas corporis partes, quaedam etiam ex excrementosa materia mens aduena in foetu iam formato & grandi sustentat; ita credendum est naturam primum formasse, antequam accederet mens. Est enim aduenam mentem alio modo interpretetur Philoponus, Ephesius tamen intelligentem animam intellexit; mea quidem sententia magis Philosopho consentaneae. Quippe mentem, quam in capite tertio solum dixerat forinsecus aduenire, post aduenam appellauit. Quod si ea sit, quae corpora nostra nutrit & auget, nimirum ea sola est in nostris corporibus anima.

Inter Peripateticos autem Alexander in priori libro de anima cap. vltimo, dum cor ostenderet esse facultatum omnium, vel etiam rationalis sedem ac domicilium: hoc magnopere vsus est argumento; quod si rationalis facultas esset a ceteris separata, plures in nobis animas cogere affirmare, singulique homines plura animalia esse viderentur. Quae res impossibilis prorsus est; quoniam id, quod postremam & omnium abolutissimam animam habet, ceteris quoque praeditum esse necesse est. Totidem verbis est apud ipsum. Quibus & plures in homine animas esse non posse, & superiorem inferiorum omnium operationes & facultates prestare confirmat. Themistius autem in primo item lib. cap. 5. multas in vno animali non esse animas, hoc argumento concludit. Sit enim, inquit, ridiculum, vt ait Plato, velut milites in Troiano equo plures animas in quolibet homine contineri: singulaque addit esse in singulis, quae tamen facultatibus pluribus consistunt. Eadem Simplicio videtur fuisse sententia. Nam in comment. text. 9. libri primi;

Quod quidem inquit in vno atque eodem animali, siue homo sit, siue quoduis aliud, verissimum est vnam videlicet cuiusque animam esse. Et in Commentario ad textum 89. Quaesitum, inquit, est tale. Vtrum sit quouis in animali vna anima, an plures. Quandoquidem & ipsius actiones, tum plures sunt, tum etiam multiformes. Ac si vna quidem est, vtrum composita est ex pluribus substantiis, animal simplex quidem sit, multas vero in se contineat facultates atque adeo multitudo actionum inde resultet. Quandoquidem veluti vnum est corpus; & ipsum animal vnum, necesse est & animam esse vnam. Praeterea id minime vnum esset, quod exempli causa dicat, ego intellexi, ego sensi, iratus sum, aut concupiui; nisi sit vna anima ipsa. Quod igitur vna sit, planum est. Haec Simplicius; qui solum deinceps facultatum diuersitatem memorat, quae in eadem animam impartibiliter vnica diuersas corpori praebent operationes. Denique Philoponus, tum in expositione textus 11. rationalem animam scripsit corpora nostra viuificare, omniumque illis operationum ac motuum principium esse; sed quoad alias operationes inseparabilem esse a corpore, quod eas per corporis organa exequi debeat: quoad intellectum autem separari posse, quod haec organo corporeo non indigeat. Tum in textum 149. cum Philosophum concludentem videret, De principio, quo animal sentiens est, definitum fuisse: id non ita dici affirmat, quasi animal multa principia habeat; sed quod vnum sit & multa; Vnum substantia, multa facultatibus & virtutibus. Tum vero in commentar. cap. 3. libri secundi de animal. ortu, quod eo loco de trium animalium in hominis foetu productione ab Aristot. traditum est; de vnica interpretatur anima, quae diuersis temporibus diuersas illas operationes promat; planta primum, deinde animalis, tum hominis. Et inter cetera, Cum, inquit, innascitur nobis ipsa rationalis anima, eius tunc cum ipsa reliquis omnes facultates innasci certum est. Rationalis ipsa rationis expertes secum confert: non vero cum ipsis confertur. Non enim hoc esse fatemur diuersis temporibus hanc, illamve animam facultatibus

Inter Peripateticos autem Alexander in priori libro de anima cap. vltimo, dum cor ostenderet esse facultatum omnium, vel etiam rationalis sedem ac domicilium: hoc magnopere vsus est argumento; quod si rationalis facultas esset a ceteris separata, plures in nobis animas cogere affirmare, singulique homines plura animalia esse viderentur. Quae res impossibilis prorsus est; quoniam id, quod postremam & omnium abolutissimam animam habet, ceteris quoque praeditum esse necesse est. Totidem verbis est apud ipsum. Quibus & plures in homine animas esse non posse, & superiorem inferiorum omnium operationes & facultates prestare confirmat. Themistius autem in primo item lib. cap. 5. multas in vno animali non esse animas, hoc argumento concludit. Sit enim, inquit, ridiculum, vt ait Plato, velut milites in Troiano equo plures animas in quolibet homine contineri: singulaque addit esse in singulis, quae tamen facultatibus pluribus consistunt. Eadem Simplicio videtur fuisse sententia. Nam in comment. text. 9. libri primi;

Quod quidem inquit in vno atque eodem animali, siue homo sit, siue quoduis aliud, verissimum est vnam videlicet cuiusque animam esse. Et in Commentario ad textum 89. Quaesitum, inquit, est tale. Vtrum sit quouis in animali vna anima, an plures. Quandoquidem & ipsius actiones, tum plures sunt, tum etiam multiformes. Ac si vna quidem est, vtrum composita est ex pluribus substantiis, animal simplex quidem sit, multas vero in se contineat facultates atque adeo multitudo actionum inde resultet. Quandoquidem veluti vnum est corpus; & ipsum animal vnum, necesse est & animam esse vnam. Praeterea id minime vnum esset, quod exempli causa dicat, ego intellexi, ego sensi, iratus sum, aut concupiui; nisi sit vna anima ipsa. Quod igitur vna sit, planum est. Haec Simplicius; qui solum deinceps facultatum diuersitatem memorat, quae in eadem animam impartibiliter vnica diuersas corpori praebent operationes. Denique Philoponus, tum in expositione textus 11. rationalem animam scripsit corpora nostra viuificare, omniumque illis operationum ac motuum principium esse; sed quoad alias operationes inseparabilem esse a corpore, quod eas per corporis organa exequi debeat: quoad intellectum autem separari posse, quod haec organo corporeo non indigeat. Tum in textum 149. cum Philosophum concludentem videret, De principio, quo animal sentiens est, definitum fuisse: id non ita dici affirmat, quasi animal multa principia habeat; sed quod vnum sit & multa; Vnum substantia, multa facultatibus & virtutibus. Tum vero in commentar. cap. 3. libri secundi de animal. ortu, quod eo loco de trium animalium in hominis foetu productione ab Aristot. traditum est; de vnica interpretatur anima, quae diuersis temporibus diuersas illas operationes promat; planta primum, deinde animalis, tum hominis. Et inter cetera, Cum, inquit, innascitur nobis ipsa rationalis anima, eius tunc cum ipsa reliquis omnes facultates innasci certum est. Rationalis ipsa rationis expertes secum confert: non vero cum ipsis confertur. Non enim hoc esse fatemur diuersis temporibus hanc, illamve animam facultatibus

tatem, vel animam in nobis constitui; hoc enim pacto plures animas, ab inuicemque discretas fortiremur; & quae sequuntur. Sunt & illa Prisciani Lydi verba in Theophrasti librum de Phantasia & intellectu capite 17. Si quis geminam essentiam in nobis excogitet, vnum animal multa faciet animalia.

Verum si sacram & diuinam Philosophiam, quae certiore nititur lumine, consulamus; accedit difficultas de Christi seruatoris nostri morte, & de qua vltima nostrorum corporum resurrectione. Nam si praeter intelligentem alia sint in nobis animae; dum Christus obiit, quid sentienti aut vegetanti actum est? Dicitur non potest eas simul cum intelligente a corpore separatas fuisse: neque item penitus periisse, quoniam scitum est illud Theologorum; Quod semel assumpsit, nunquam dimisit. In reliquis vero hominibus cum reliquae illae animae separari nequeant, postque illius interitum esse superstitas; si extingantur cum corpore, oportet & in postrema corporum resurrectione a Deo de nouo creari. Quod neque necessarium est, neque ab illo haec pronuntiatum. Maneat igitur, non nisi vnam in homine inesse animam; quae in corpore praestet quidquid reliquae praestare debuissent; atque in reliquis item viuentibus vnica singularum propria affirmabitur.

Exponitur locus 2. de animal. artu. 6. 3.

Quae vero adferebantur ad ostendendum ternarium in homine animarum numerum, ita ferè explicantur. Locum illum Philosophi in capite tertio libri secundum de animalium ortu ita aliqui interpretati sunt, vt animam quandam in fetu primum produci dixerint, eamque actione seminis principio fieri vegetantem, deinde sentientem, tum superioris causae virtute intelligentem. Parum omnino sapienter. Tum quod eadem forma diuersarum specierum fieri, atque ex vna in aliam mutari nequeat. Tum quod animalis procreatio motus esset continuus ab imperfecto ad perfectum, vt alteratio. Tum quod intelligens anima nequaquam crearetur a Deo, sed actione seminis educeretur ex materia. Ij quoque merito reprehenduntur, qui vitae operationes, quae in fetu cernuntur, nequaquam ab illius vegetante anima, sed ab anima matris, aut a seminis formatrice virtute, fieri assererent. Neque enim possunt operationes vitae ab exteriori principio proficisci; vt ostendit vitae definitio in textu tertio expolita; Vita est quae per ipsum fit alitio: & definitio animae in textu 24. Anima est id, quo viuimus, &c. Oportet igitur aut eas operationes ab anima proficisci, quae in fetu iam sit producta: aut animam matris duo corpora formare. Sed cum posterius hoc fieri prorsus nequeat, vnum illud superest, matrem alimentum suppeditare, quo fetus per animam sibi propriam alatur & augetur.

Duae autem videntur esse probabiliore huius loci explicationes. Altera est Philoponi in comment. ad eum locum, Magnique Alberti in summa de Homine, & aliorum complurium. In humano fetu neque animam vegetantem produci, neque sentientem, sed solam intelligentem; quae iuxta materiae & organorum dispositionem opera prius vegetantis, deinde sentien-

tis, ad extremum intelligentis perficiat. Eaque omnia, quae ab Aristotele eo loco dicuntur, de operationibus intelligenda esse: atque hominem actiones prius exequi plantae, deinde animalis, tum hominis. Verum multas ob causas reprehendenda est. Primum quia manifestum est, Aristotelem non de operationibus loqui, sed de animabus; quartum vna prius accedat, quam alia. Quod tum ex eo cognoscitur, quod hominem ait non simul esse animal & hominem: tum ex altero, quod vegetantem animam & sentientem subiungit actione seminis ex materia produci, solam intelligentem formatum aduenire. Deinde, quoniam patet, quod hominis operationes exercere nondum potest, nequaquam esset appellandus homo: quem tamen constat intelligentem habere animam. Tum vero, quod nobilior est forma, eo meliorem materiam, perfectioresque dispositiones postulat; quibus productis necesse est statim subsistere qui formam: est enim necessaria & essentialis materiae & formae connexio. Fectus autem, vbi primum nutritur & augetur, vsque ad perfectum & elaboratum non est, vt intelligentem animam possit statim suscipere; at vegetantem potest. Et rursus paulo post ad sentientem aptus est; nondum ad intelligentem. Neque fieri potest in natura, vt materiam dispositam non consequatur forma; cum sit eadem actio, quae & materiam disponit, & educt formam. Accedit medicorum iudicium: qui tres distinctas diuersis temporibus animas procreari tradunt. Theologice confirmant; dum vt intelligatur, qualisnam fuerit in abortu culpa, considerandum esse statuunt quoniam eadem anima in fetu fuerit. Sanè non conuenit natus ab imperfecto ad perfectum & ab extremo ad extremum subito transire. Neque credendum est, eam ab inanitate ascendere statim ad diuinitatem omnium formam intelligentem, & non magis per vegetantem & sentientem gradum progredi.

Denique adducat nunquam, vt credam seminariam virtutem in ceteris omnibus, tum animalibus, tum plantis, esse fecundam; in homine solo sterilem; neque vllius animatae formae procreatricem. Nam etsi dici possit, humanum semen eam vim habere, vt corpus vniuersum formet, materiamque diuersis partium formis productis disponat: hoc tamen a dignitate ac perfectione humanae naturae longe abesse videtur. Nam cum mutorum ac stirpium semini concedatur, vt non modo materiam preparet, corpusque faciat organicum; sed adducat quoque formam & producat animam: quid tandem homini optima omnium parens inuidisset natura, vt corporis solum formandi, materiaeque disponendae vim dedisset; quidpiam autem sibi simile gignendi, viuenteve formam procreandi potestatem omnem praeripisset? Estet mirum, quod doleret homo conditionem suam: si in eo, quod naturae suae conseruandae esset maxime necessarium, quodque in primis ipse desiderabat, vt perpetuitatem consequeretur, mutis animantibus ac plantis fuisset inferior: Neque quod alia omnia naturalia possunt, Diuinum illud pulchrum & expetendum consequi possent.

Mulio

Multò igitur verius est id, quod S. Thom. alijque omnes affirmant, actione seminis tum disponi materiam, totumque corpus preparari, tum vegetantem quoque animam produci, vbi ad quendam dispositionis modum ventum sit, & rursum post aliquod tempus perfecta magis materia sentientem formam accedere. Tum verò disponi adhuc materiam ad præfatisimam omnino intelligentem formam. Cuius tamen productionem attingere semen non potest, quòd ea forma ex materiæ potestate educi nequeat: sed spiritalis cum sit, aliunde accedere ad corpus debeat, à solo scilicet Deo creata. Dum verò ita progreditur natura, vt vegetantem primum animam producat, deinde sentientem: factus nò propterea appellatur planta, aut animal brutum. Quoniam vtraque hæc anima duas sub se habet interiectas species, vegetans plátam & embryonem, sentiens, brutum animal & Embryonem: plantam quidem & brutum animal vt perfectas species, Embryonem vt imperfectam, quæ vegetantem aut sentientem formam in ordine duntaxat ad superiorem habet, quæ tanquam propria speciei forma nomen ac definitionem dabit. Sed quomuis in humano sexu hæ tres animæ producuntur, dum tamen adest sentiens, abit vegetans; moxque accedente intelligente illa quoque recedit, vnicaque in homine superest anima.

Cæterum duplex hoc loco est difficultas. Altera, quòd frustra videntur antecedentes illæ animæ fuisse productæ, si tam citò extinguuntur. Altera, à quam corruptente causâ & quomodo corruptantur. Sanctus Thomas nil aliud respondet, nisi ortum vnus esse alterius interitum: præsertim cum ea, quæ posterior accedit, perfectior sit, & priorum virtute contineat. Causam huius rei esse, quòd vnus ortus sit interitus alterius, non crediderim ego; tum quòd hoc non est causâ, sed effectus. Tum quòd in omnibus procreationibus nequaquam ita esse iam demonstrari. Priorem animam interire, quòd accedat posterior, quæ in eodem genere perfectior est: potest que ita formare materiam, vt de illi quidquid prior altera dabat & aliquid amplius: libenter audio, sed non dum planè acquiesco; quoniâ difficultates propositæ non explicantur.

Ego verò ita ratiocinabor. Priores animæ nequam fuerunt frustra productæ: quoniam cum inter animas sit essentialis ille ordo, quem antea exposui; neque possit natura summum statim attingere, necessariò fit, vt semen, quòd in bestijs ad sentientem animam producendam comparatum erat, aut etiam in homine intelligentem (humanum enim semen non est per se comparatum ad sentientem animam procreandam, sed ad eam, quæ hominis propria est: quippe vnum quodque appetit gignere sibi simile: eamque, est non producat quoad substantiam, quoniam spiritalis est; verè tamen producit quoad esse in materia; dñi dispositiones adducit, quibus ea coniungi cum materia possit) producat prius antecedentem animam: non tamen per se, sed velut medium & necessarium gradum ad eam formam, quam querit. Non enim per hominis semen vegetans anima procuratur, aut sentiens; sed per vtramque intelligentem. Et idè non illa, sed hæc sola conseruatur in materia. Quoniam ea non fuerunt propter se productæ, sed tanquam gradus ad eam consequendam, quam natura quærebat. Neque dicitur frustra fuisse

A se: quia fuerunt gradus, optimèque suo munere perfunctæ sunt; dum ad eam formam perduxerunt, quæ quærebat: sanè non producitur talis vegetans forma aut sentiens, quæ præsertim sua natura debeat aut possit existere; sed quæ debeat esse dispositio & gradus ad aliam, quæ in natura existet. Neque enim omnis vegetans aut sentiens id præstare potest: quippe vegetans plantæ nullo modo admittet sensum; nec sentiens belluæ intellectum & mentem suscipiet: quoniam hæc per se productæ sunt, vt in natura cohereant: non vt ad aliquid melius ordinatæ.

Quod autem ad corruptentem causam attinet; plerique eas inquirunt interire solum atque ex materia recedere per modum naturalis consequutionis. Aduenit enim inquirunt, superior forma, cum qua frustra & sine necessitate remaneret. Verum, naturæ magis consentaneè philosophabimur, si eas dixerimus ab illa ipsa agente causâ interiri; quæ consequentem producit animam. Nam vt qualibet forma constitutas habet dispositiones, earumque certam quandam latitudinem, cum qua consistere potest in materia: sic earum excessus, aut defectus causâ est interitus formæ. Quemadmodum igitur expelli potest forma, si materiæ dispositio plus æquo minuat: ita semen, quòd priores dispositiones, animæque produxerat; non propter se, sed propter meliorem formam, dum agendo progreditur, superiorisque formæ dispositiones producit; demolitur eas, quibus antecedentes animæ conseruari debuissent. Demolitur, inquam, totam illarum latitudinem excedendo, perfectiorisque producendo, quæ non illarum, sed superioris animæ sunt. Mutatis namque dispositionibus formas quoque mutari necesse est; priorisque recedere, posteriorem aduenire. Atque hoc modo in hac quoque corruptione verum est illud Philosophi. Quod corrumpitur, antea corruppebatur. Totus enim ille motus, quòd alterius animæ dispositiones priorum conditionem excedentes producebantur, erat quoque motus corruptionis illarum.

Iam quoniâ illi quoque, qui in viuientibus constituendis duas in singulis plantis, tresq; in bestijs non minus, quàm in homine, animas ponunt, nituntur maxime verbis quibusdam Philosophi, quæ in eodem libro & cap. leguntur: antequam ad reliquas difficultates euoluendas accedam, quæ animarum in homine multitudinem suadebant, placet illa quoque verba interpretari. Primum autem quòd ad horum hominum opinionem attinet, considerare illi debuissent, se nimium omnino animarum numerum augere. Tres enim duntaxat Philosophi omnes hæcenus cognouerunt, vegetantem, sentientem, intelligentem. Illi plures faciunt, dum & vegetantem & sentientem in plantis & bestijs duplicatas ponunt, vnam generis vniuersi, alteram singularum specierum. Deinde poterant meminisse, quid tum in hoc secundo libro de anima à textu 13. tum alijs in locis de trium illarum animarum, seu facultatum distributione fuerit constitutum. Primum enim vitæ gradum vegetantem, vnicum, simplicem, & solitarium in plantis reperiri, easque per vnica animam viuere, definitum est. Tum verò dum illi eo modo philosophantur, genus ponunt à speciebus re ipsa distinctum, ac seorsum sub-

LL

A quoniam corrumpatur.

Dues in plantis, tres in bestijs non esse animas.

Cum prioru anima producatur.

listens: dum, inquam, vegetantem animam in planta, & sentientem in bestia formam esse genericam ab anima specierum illarum propria diuersam & ante illam productam asserunt. Quod nequaquam ita esse, alibi demonstratur: deque sentiente anima apertum est illud Arist. testimonium in tex. 8. 1. libri; Animal vniuersum aut nihil est, aut posterius est, solaque mentis cogitatione à speciebus singulis separatum. Præterea quid opus est tantopere animas augere: Vt enim eadem forma specie, si in diuersa numero materia suscipiatur, numero multiplicatur: ita si diuersa specie fuerit materie dispositio, corporisq. conformatio; diuersæ statim anime, tum plantarum, tum bestiarum producentur; quæ vno cõmuni conueniunt genere, sicut aliæ omnes species. Alioqui nõ in viuentibus solum, sed in omnibus planè rebus, vel etiam simplicibus Elementis, oportebit formam generis, formamque speciei ponere; atque in corporibus omnibus formam corporis, & talis corporis re distinctas. Certè si facultates atque operationes consulamus, nullæ sunt in animabus illis, nec facultates, nec operationes diuersæ: sed eadem, tum generis, tum speciei. Nec enim anima equi alias habet facultates, aut operationes, quàm videndi, audiendi, ac ceterorum sensuum; tum verò appetitionis, & incessus: Neque lactucæ anima alias, quàm nutritionis, accretionis, & procreationis. Quæ facultates erant vniuersæ sentientis anime, aut vegetantis: neque accessit quidquam præter determinationem quandam; sicut generica ipsa forma fuit ad singulas species contracta.

*Philosophi
locus ex 2.
de animis
orru ca. 3.*

Est tamen apud Aristotelem locus difficilis, qui sanere aduersarijs videatur, & verò etiam fuit errandi occasio. Nam in cap. 3. lib. 2. de animal. ortu, cum factum in utero dixisset Philosophus non esse simul animal & hominem; sed prius per sententem animam esse animal, deinde procedente tempore hominem intelligente forma accedente: statim subiungit, neque equum simul fieri animal & equum, eodemq. modo in animalibus cæteris rem se habere. Si igitur homo fit homo accedente alia forma hominis propria: intelligi etiam voluit, equum fieri, aut lactucam alia succedente speciei forma à generis forma diuersa. Verum et si hoc illis ita esse concederemus; perpetram tamen ex eo loco colligerent id, quod maxime querunt, in plantis duas inesse animas, tres in bestijs & homine. Quamuis enim anima illa ita producerentur: quemadmodum tamen in homine antecedentes diæ pereunt, dum accedit intelligens; hæcque sola in eo viger: ita & in cæteris eueniret; solaque speciei forma subsisteret. Nihilominus ne in productione quidem ita se habere existimandum est. Nam vt omitam interpretationem Philoponi grauissimi omnino interpretis; qui non de animabus, sed de operationibus, ea omnia intelligi voluit: pugnantia loquutus fuisset Arist. si generis formam re à speciebus distinctam, & in natura ante species coherentem posuisset, quam alibi toties in Platone reprehenderat. Deinde cur non item de plantis adiunxit, non simul esse plantam & lactucam? Si enim non simul est animal & equus; quod per aliam animam fit animal, per aliam equus, dicendum idem fuisset de plantis, in quibus animas illi duas agnosceret. At contrarium prorsus legimus, plantas per vnicam simplicissimam animam à reliquis omnibus separatam viuere. Quod cum his, quæ sensibus cernuntur, planè consentit. Nam et si in animalium foetu, qui in oc-

culto nobis loco perficitur, aliquid ipsi dicere possint: in plantis tamen, quæ in patenti terra nascuntur, atque à nobis conspiciuntur, dum paulatim et feminibus pullulant, nullam formam, aut animæ mutationem cernimus; sed eadem semper lactucæ substantiam, quæ sensim augetur. Ex his verò argumentum sumi potest de animalibus. Nam si plantæ per vnicam viuunt animam, & in tali specie viuunt: bestie quoque per vnicam sentient, & in tali specie sentient. Homo quidè certè sentit, & in tali specie sentit; nec tamen in eo sentiens anima specifica à genere vniuerso distincta cogitur; Quod autem respondere posset, sentientem naturam in homine ab intelligente anima determinari: parum accommodatè diceretur. Quoniam intelligens forma, si simul cum sentiente in nobis in sit, genere differt à sentiente: & intelligere operatio est diuersæ profus nature à sentione; quæ sensum quidem & illius operationem supponat, sed eam ad certam speciem determinare minimè possit.

Eo igitur in loco Philosophus cum tres duntaxat animas nominasset, easque humano foetui ordine quodam & tempore procedente aduenire dixisset: probare voluit, eum ordinem inter illas seruari; vt omnium prima sit vegetans, deinde sentiens, tum intelligens. Ac primam quidem vegetantem esse oportere, acceperat iam ex ijs, quæ in hoc 2. lib. de anima tradita fuerant: vbi eam docuerat esse primum vite gradum, qui à cæteris separatur; nec aliorum vllum abique eo esse posse. Propterea de reliquis duntaxat probationem subiunxit. Probatio autem est. Quia non simul est animal & homo, nec animal & equus, eademque in cæteris animalibus ratio est. Quoniam verborum si ille sit sensus, quem aduersarij arbitrantur, ineptissima probatio fuerit, quæ argumentum illud accipiat, quod probandum fuerat. Probandum enim erat, sentientem prius, quàm intelligentem, produci. Hoc fit eo argumento probetur, quia non simul fiant, sed prius sentiens, quàm intelligens, idem per idem probabitur, & vt in scholis loquitur Dialectici, petitio erit principij. Ex eo igitur Philosophi argumentatio deducta est, quod animal est genus, sua natura prius, quàm homo. Quare cum anima sentiens sit animalis forma generalis, & anima intelligens forma hominis propria, prius illa, quàm hæc, produci debet. Atque hoc est, quod ait, Non simul fit animal & homo, hoc est, non simul sunt & æque late patet, sed prius est, & generalius animal. Quod vt ostendat, equum & reliquas animalis species commemorat: vt intelligatur, animal significare quodpiam genericum & prius, quod in hominis foetu nõ simul, sed ante intelligentis anime aduentum produci oporteat. Ex hoc porro argumentari non licet, in equo & alijs bestijs idem fieri propter eandem causam oportere. Quoniam in homine peculiaris est & propria quædam causa: quod is non solo sensu consistit, sed ad intelligentem progreditur naturam, quam ab alia quapiam distincta forma constitui debere manifestum est. At equus & bestie cæteræ sentientem solum naturam habent, nec alia indigent forma, quæ sentiente non in sua generalitate accepta, sed per propriæ differentie gradum ad singulas species contracta. Hæc est vera illius loci interpretatio. Pergamus ad reliqua.

Seminaria hominis virtus nequaquam est frustra. Formatur namque corpus organicum, distinguuntur partes & membra homini necessaria; producitur

duci vegetantem, & sentientem animas; atque adeo intelligentem, non quoad substantiam, sed quoad esse in materia; dum substantia illius à Deo creata coniungitur cum materia ope illarum dispositionum, quas produxit semen. Itaque homo verè dicitur hominem sibi similem procreare. Vt enim quidpiam dicatur sibi simile gignere, factus est, si id, quod gignentis actione producit, ad speciem & naturam illius participandam perducatur, fiatque coniunctum illi simile. Nam cum terminus ortus non sit forma, sed totum coniunctum; à quocumque tandem substantia forma producat, si gignentis actione atque industria acquirat esse in materia, totumque coniunctum constituat; id profectò factus est, vt vera sit & perfecta procreatio. Hec enim substantia composita productionem significat, quæ non esse transcat ad esse, ac per se in natura cohareat. Composita autem substantia ex vnioune fit materia & forma. Quare vt decumque adueniat forma, si agens attingit vnionem illius cum materia, verè & propriè dicitur procreare, quòd composita substantia sibi similis productionem consequatur. Cuius item dissolutio appellatur interitus: quòdque dissolutionem adfert, interimere verè existimatur. Non tamen aio procreationis huius terminum esse vnionem, vt relationem significat: sed id, quod vnium est; seu vnionem, vt significat actum formalem animæ in corpore, ex quo substantia composita efficitur. Et quoniam præstabilius est attingere actum formalem immaterialis ac per se subsistentis, omniumque optima forma; quam alterius cuiusvis; præstantissima omnium est hominis procreatio. Itaque illud etiam sapietèr affirmabitur, eadem intelligentem animam, tum creationis terminum esse, tum procreationis. Creationis; quatenus eius substantia ex nulla præiacente materia à Deo producit. Procreationis; quatenus agentis naturalis operatione cum materia coniungitur, compositam substantiam constituendo.

Vt enim
operatio
procreatio
est in materia

Et porro est formarum conditio, vt si inter eas sit ordo materiae & formæ, nequeant superiores aut produci, aut esse sine inferioribus. Sin autem sit eadem formæ & actus imperfectioris ad perfectiorem; non possit quidem superior produci, nisi antea inferior producta fuerit; esse tamen & deinceps conseruari sine illa possit. Quod pluribus antea declaratum fuit.

Vt in
essentia
formæ
est in materia

Nec tamen essentialia & contradicentia attributa eidem essentia formaliter conuenient. Quoniam intelligens anima ita est immaterialis, impartibilis, independens à corpore & immortalis; vt nullo modo sit formaliter materialis, partibus, dependens, & mortalis. Sed virtute duntaxat, vt inferiorum formarum, materialium, partibilium pendentium, & mortalium perfectionem continet. Neque absurdum existimatur, si eidem essentia quidpiam cõueniat formaliter, & alterum illi oppositum virtute. Nam si anima sentiens in bestiis consideretur; eam dicimus virtute continere vegetantem, non item contradicentia attributa: siquidem amba materiales sunt & mortales. Altera tamen alteram virtute continet; quia perfectior est eiusdem generis forma. Quare si perfectior adhuc eiusdem generis accedat, illam quoque virtute continebit. Quòd si fornicatus adueniat, sitque immaterialis & immortalis; id comparatione virtualis continentia est proprius accidentarium. Quoniam non ideo virtute continetur, quod materialis sit, aut immaterialis; sed quod maior in eodem genere perfectio. Quare ex accidenti quoque, est, si contradicentia illi attributa cõueniant: cum quædam ratione virtualis continentia cõueniant; alia ratione actus formalis, quo anima illa in seipsa est actus talis & forma. Anima igitur vegetans & sentiens, dum in seipsis considerantur, materiales sunt, partibiles, corruptibiles & mortales: at in superiori natura, qua continentur, immateriales dicuntur esse, impartibiles, incorruptibiles, immortales. Quòd nil aliud sint, quam ipsa intelligens anima totam illarum perfectionem cõtinens. Propterea Philosophus propriam singularum naturam considerans, priores illas sapè dixit mortales esse & caducas, intelligentem solam immortalem & aliud animæ genus, quod à corpore separatur tãquam perpetuè à mortali. Neque est, quòd obijciant; nihil, quod per se sit mortale, ex accidenti fieri posse immortale: quòd, vt est in tex. 26. lib. 10. Metaph. mortale, & immortale ex intima cuiusque rei natura ducuntur. Etenim nec anima illa sua natura caduce euadunt sempiternæ: neque intelligens anima, quæ naturam habet sempiternam, caduca efficitur. Sed & illæ, dum per se considerantur, mortales semper sunt; hæc immortalis. Et ille immortales euadunt, dum in superiorem naturam suam cõmutant, virtutèque in immortalis forma cõtinentur. Et hæc mortalis appellatur non formaliter, sed vt mortales formas continet & earum actus, tum primos, tum secundos, exercere potest. Mortale autè & immortale, cum ex propria cuiusque rei natura nascantur, cuique persè & secundum propriam naturam considerate tribui debent.

A tinet, quòd materialis sit, aut immaterialis; sed quòd maior in eodem genere perfectio. Quare ex accidenti quoque, est, si contradicentia illi attributa cõueniant: cum quædam ratione virtualis continentia cõueniant; alia ratione actus formalis, quo anima illa in seipsa est actus talis & forma. Anima igitur vegetans & sentiens, dum in seipsis considerantur, materiales sunt, partibiles, corruptibiles & mortales: at in superiori natura, qua continentur, immateriales dicuntur esse, impartibiles, incorruptibiles, immortales. Quòd nil aliud sint, quam ipsa intelligens anima totam illarum perfectionem cõtinens. Propterea Philosophus propriam singularum naturam considerans, priores illas sapè dixit mortales esse & caducas, intelligentem solam immortalem & aliud animæ genus, quod à corpore separatur tãquam perpetuè à mortali. Neque est, quòd obijciant; nihil, quod per se sit mortale, ex accidenti fieri posse immortale: quòd, vt est in tex. 26. lib. 10. Metaph. mortale, & immortale ex intima cuiusque rei natura ducuntur. Etenim nec anima illa sua natura caduce euadunt sempiternæ: neque intelligens anima, quæ naturam habet sempiternam, caduca efficitur. Sed & illæ, dum per se considerantur, mortales semper sunt; hæc immortalis. Et ille immortales euadunt, dum in superiorem naturam suam cõmutant, virtutèque in immortalis forma cõtinentur. Et hæc mortalis appellatur non formaliter, sed vt mortales formas continet & earum actus, tum primos, tum secundos, exercere potest. Mortale autè & immortale, cum ex propria cuiusque rei natura nascantur, cuique persè & secundum propriam naturam considerate tribui debent.

Anima
vegetans
& sentiens
quales vt
in intelligentie
continentur.

C iam de operationibus, dum ex illis Philosophus naturalis substantia formas querit, hæc ignorare nõ debet. Primum ex operatione solà formæ existentia colligi: optimèque concludi, si est operatio, oportere quoque adesse formam. Nõ item formarum distinctionem, aut multitudinem. Tum quòd hæc ratio cinatio ad illud genus demonstrationis pertinet, quòd dicitur ex effectu, qui sensibus apparet, ad existentiam causam concludendam. Tum quòd operationes non oriuntur immediate à forma, sed à facultate: ab eademque forma plures prodeunt facultates, quibus plures sunt operationes. Hoc autem in eodem præsertim composito verum est. Nam in diuersis diuersas formas ex diuersis operationibus licet concludere: quoniam vnium suppositum nequit esse principium operandi in alio supposito. Distinctio igitur, sed multitudo formarum propriè & absque errore iudicanda erit ex materialium seu suppositorum distinctione. Quoniam cum vnus actus sit vnus potestatis, vna forma vnus materiae; atque inter materiam & formam, potestatem & actum, relatio quædam sit & essentialis nexus: optimè concludimus vnus multitudinem alterius quoque multitudinem indicare. Loquor autem de formis, quæ rationem habent actus & formæ in materia: Itaque ex operationibus hominis magnam omnino facultatum diuersitatem primum colliges. Deinde, eas omnes aut ad vniam formam, aut ad plures reuocandas esse. Plures esse non posse, facile concludes; quia non est nisi vna materia, vnium corpus, vna potestas; in qua non nisi vna forma totius & vnus actus speciei esse potest. Eam affirmabis esse intelligentem animam; quoniam hæc est propria hominis forma, actusque huic materiae & corpori accommodatus.

Vt ex operationibus
colligatur
forma.



At quomodo hæc anima vegetantium ac sentientium operationum, quæ ab alijs formis in viuentibus cæteris proficiuntur, principium sit: Videbis vegetare & sentire hominis nequaquam esse vegetare & sentire simpliciter; sed illius propria: oriri igitur debent à forma eius speciali, quæ à plantis & bestijs distinguitur. Hanc videbis esse intelligentem animam, superiorem ac perfectiorem in ratione actus primi: & ideo etiam in operatione. Quare eam concludes, omnes illas operationes eam præstare posse, quæ ab alijs formis fieri debuissent. Nō igitur ad plures formas ex illis operationibus deducis: sed ad vnicam, quæ cæteris virtute contineat. Atque vt perfectionem habet vegetantis animæ & sentientis, ita vim quoque operandi retineat. Et vt humano corpori maiorem addit perfectionem sibi propriam; sic & operationes adducat alterius generis, quæ nulli alteri conueniant.

Homo formaliter vegetans & sentiens.

Hinc verò intelligitur; Primum, quomodo homo sit formaliter vegetans & sentiens. Etsi enim vegetantem animam, aut sentientem formaliter non habeat quoad esse illarum proprium & distinctum ab esse animæ intelligentis: habet tamen formaliter actum hunc & perfectionem superiorem, in qua actus & perfectio illarum meliori modo continentur. Continetur autem, non eo modo, quo solem dicimus esse virtute calidum; quoniam hoc ad efficiens causæ vim pertinet; quod scilicet suo lumine calorem possit producere. Nam si hoc modo intelligens anima cæteras contineret; posset quidem eas in alio producere; at hominem, in quo ipsa est, formaliter vegetantem, aut sentientem nequaquam faceret: sicut neque sol formaliter calidus appellatur. Quoniam efficiens causæ non potest dare esse formale, quod solius formalis causæ effectus est. Eam igitur ob causam hæc anima dat homini esse formaliter vegetantem & sentientem; quia in genere causæ formalis, hoc est tanquam actus & forma in eodem genere superior, perfectiones & actus illarum animarum continet. Idcirco enim dum coniungitur cum corpore, quia coniungitur tanquam forma cum materia, & forma dat formaliter materię totam suam perfectionem: ea quoque anima, quæ velut forma non intelligentem solum, sed vegetantem quoque & sentientem perfectionem continet, coniuncta cum corpore hominem facit formaliter & intelligentem, & sentientem, & vegetantem. Itaque si queratur; Num in homine sint formaliter animæ vegetans & sentiens; adhibenda erit distinctio. Est enim in eo formaliter animarum illarum perfectio; dum intelligens, quæ in genere formæ est illis perfectior, cum illarum quoque perfectione est hominis forma. Non sunt autem perfectiones illarum ab intelligente anima distinctæ & separate, atq; in actu ipsarum proprio. Vt verè etiã dici possint hæc animæ, tu actu, tu virtute, esse in homine. Virtute; quia non sunt in actu proprio & distincto ab intelligente. Actu, quia verè illarum perfectio in superiore illa forma, atque adeo in homine, cuius illa est actus, tota reperitur.

Vt dici possit cæteras animas à corpore separari.

Deinde intelligitur etiam, dum intelligens anima à corpore separatur, reliquas item animas separari, non quo ad proprios earum actus, sed vt sunt ipsa intelligens anima, quæ & illarum perfectiones continet, & à corpore separatur: vt non ipsa, sed diuinius illa anima re ipsa separatur. Sed quamquam illæ quoque dicerentur ex accidenti separari, non essent tamen otiosæ. Quod suo tempore, quandiu fuerint

A in corpore, operate sint; ac rursum sentiens saltem anima operabitur post vltimam illam corporis resurrectionem, quam aliquando futuram certa fide credimus. Nec in somno cæsetur otiosa, quod cum vigilat tempore operata sit, tum rursum operari debeat. Nec facultas inter intelligendi cum phantasia te cæsetur esse otiosa in anima separata, etsi nullus illius amplius futurus sit vsus. Hanc porro in anima separata remanere, ex illis cognosci potest, qui diuina virtute fuerunt aliquando ad vitam reuocati, ac rursum cum phantasia te intellexerunt. Accedit, quod num aliquid sit otiosum, ex eo præsertim, quod præcipue cuique rei conuenit, iudicandi est. Anima verò separata id, quod est in ea potissimum, adhuc operatur.

B Venio ad illud, quod de nutritione, accretione, & decrectione hominis proponebatur. De illis idem prorsus dicendum, quod de ortu & interitu dictum est. Sunt enim ortus quidam & interitus paruum.

De sentionibus autem sic sentio. Eæ dicuntur esse operationes toti coniuncto ex anima & corpore communes: non quod in homine suscipiantur in toto (Cum enim sint operationes intelligentis animæ, quæ non pèder à corpore, sed seipsa subsistunt; earum iudicium & actus elicitus in sola suscipitur anima), sed quod cum sint sua natura actiones inferioris formæ materialis, organo indiget corporis & vero etiam animæ spiritui, perinde ac si in toto essent coniuncto. Hæc de tota hac grauissima difficultate ego pronuntio.

C Ex quibus intelligitur, plures omnino formas simul inesse in omnibus multis corporibus, & in viuentibus plurimas: verè tamen dici posse inesse vnicam; quoniam etsi plures sint, vna tamen est, quæ dat speciem & habet rationem formæ & actus, reliquæ rationem materię.

Quæ si vera sunt, gratis omnino fuit Ilandami error, qui iuxta essentialium attributorum numerum substantiæ formas multi plicauit. Quem & Marcus Antonius Zimara in suis ad eum adnotationibus, & alij graues viri iure optimo reprehenderunt. Non solum enim Elementa, sed Cælestia quoque corpora, separata mentes, accidentia, & alia quæcumque res ex pluribus formis re distinctis essent compositæ; cum in singulis plura possint essentialia attributa distincti. Deinde qui ita philosophetur, formam cogetur corporeitati ponere inseparabilem à materia, quam vniuersa Peripateticorum schola iam pridem explosit. Tum si querat, ut speciei forma consideretur, que madmodum ignis, aut alterius rei: ea nimirum cum sit substantia, forma dat esse substantiam. Quid igitur opus est alia forma, quæ substantiam constituat? Et quoniam de cæteris attributis idem dici potest, cuius manifestum est, audiendum planè hæc in re non esse Iandum.

E At is non pessime suam sententiam communit. Aristoteles enim, inquit, in textu 28. lib. primi Physic. hoc argumento Parmenidem arguit & Melissum, qui omnia dicebant esse vnum ens. Etsi sola esset substantia, multa tamen essent entia; quoniam in homine sunt animal & bipes, genus & differentia: quæ nisi sint res distinctæ, nihil cofecit Philosophus. In textu item 10. lib. 2. Metaph. ratiocinatur, non dari abitionem in infinitum in formis; quia non datur in attributis essentialibus. Quæ ratiocinatio si quid habeat momenti, tot oportet formas concedere, quot sunt attributa. In septimo lib. Metaph. dum de partibus definitionis loquitur, illis respondere affirmat partes rei. In nono eundem

operis libro tex. 22. Quod, inquit, simplicem habet formam, aut totum scitur, aut totum ignoratur. Quod igitur non totum scitur, nec totum ignoratur, compositum est in forma. At quidquid est sub genere substantiæ, sciri potest quoad genus & ignorari quoad differentiam, aut ignorari genus illius proximum, aut medium, & cognosci genus supremum: est igitur ex multis formis compositum. Postremo, ne singula persequar, hoc modo argumentatur. Quod alicui convenit per animalis formam, convenit illi ut est animal: quod autem convenit alicui ut est animal, est illi commune cum omni animali: at homini per animalis formam, quam aduerfarij eandem esse dicunt cum ea, quæ est intelligens, convenit esse risus capacem: ergo hoc conveniret illi ut est animal, omnique animali commune esset. At hoc est falsum. Necessè est igitur aliam esse formam, per quam homo sit animal, & aliam, per quam sit intelligens, risuque capax.

Verùm quod primo loco proponitur, solam probat multitudinem entium forma, definitione distinctorum. Satis enim fuit Parmenidi ostendere, multa esse entia realia, etsi non reipsa distincta. Huiusmodi est distinctio generis & differentie, quæ inde necessario colligitur.

Porro in 2. lib. Metaphysicæ sermo est de Metaphysicis formis, quæ nequaquam re distinguuntur, sumunturque ex diversis gradibus: non item de Physicis, quæ insunt in materia re inter se diversa. Propterea accipit, non dari abiectionem in infinitum in formis. Satis enim illi fuit ostendere in formis Metaphysicis: quoniam si in illis abire non licet in infinitum, multo minus licebit in Physicis, quæ numero pauciores sunt.

Locum citatum ex 7. lib. Metaph. sunt qui ita interpretentur, ut in eo sit sermo de definitione Physicæ, quæ partibus constat in obliquo casu positis: ut si hominem dixeris esse animal, quod corpore constat & intelligente anima. Non item de ea definitione, quæ partibus in recto casu explicetur, ut homo est animal intelligens. Tunc enim pars utraque totam hominis naturam significat, altera indeterminatè & tanquam multis communem, altera determinatè & ad solum contractam hominem. Verius dixeris, partibus definitionis respondere partes rei, quæ definitur: non tamen re distinctas, quia diversi respondent gradus in eadem natura, unus generalis, alter proprius.

Iam verò alter locus noni lib. Metaph. ita est intelligendus. Quod simplicem habet formam, si in se cognoscatur, aut totum scitur, aut totum ignoratur, propterea quod nullas habet partes. Hocque de intelligentiis pronuntiatum videtur, in quibus nullam existimavit esse generis ac differentie compositionem. In alijs, quæ genere constant & differentia, ut partibus forma distinctis, altera sciri potest altera ignorata: præsertim si cognitio ex effectis queratur. Nam ex vna operatione attributum vnum cognoscitur altero penitus ignorato.

Postremo ab hominis forma, qua & homo est & animal, ortum habet capacitas risus, quæ tamen non convenit homini quatenus animal est, hoc est quatenus ea forma sentiētis animæ perfectionē habet, sed quatenus homo est, hoc est quatenus eadem illa forma propriam hominis perfectionem significat. Et ideo non omni animali convenit.

Anima esse principium, quo primum vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus.

C A P. I I.

T E X T V S.

Ἐπι τῆ δὲ ἀφ' ἧς ἀφ' ἧς ἰσχυρῶς φανερῶν ὅτι ζῆται πρὸ σφῆς, ἡ δὲ πρὸς τὸν λόγον ἡμετέρων, πρὸς τὸν πάλιν οὕτως ἐπεκτείνῃ σφῆς αὐτῆς, ὅτι μὴ μόνον τὸ ὅτι δὲ τὸν ὁριστικὸν λόγον ἀλλοῦ ὡς σφῆς οἱ πλείστοι ἴσως ἀρῶν λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ τὸ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἡ μὴ φανερῶν. τὴν δὲ ἀσφῆς συμπερασματῶν οἱ λόγοι ἴσως ὄρασι εἶναι. οἷον ἡ βῆς πρὸς ἀγαθὸς, τὸ ἴσως ἐπιπρομηκεῖ ὁριστικῶν ἴσως ἴσως ἀφ' ἧς. ὅτι τὸ πρὸς τὸ ὄρασι, λέγεται τὸ συμπερασματῶν. ὅτι λέγεται δὲ βῆς πρὸς ἀγαθὸς μόνον ὄρασι, τὸ πρὸς ἀγαθὸς λέγει τὸ αὐτῶν.

Quoniam autem ex obscuris quidem, manifestioribus autem sit manifestum & secundum rationem notum: tenendum iterum sic ipsam aggredi. Non enim solum quod sit oportet definitivam rationem ostendere, sicut plurima definitionum dicunt: sed & causam inesse & apparere. Nunc autem ut conclusiones rationes definitionum sunt. Ut quid est quadratum? equale altera parte longiori retangulum equilaterum esse. Talis autem definitio, ratio conclusionis. Quæ autem ait, quadratum esse mediâ in mentionem, rei causam dicit.

COMMENTARIUS XIV.

THemistius in ea videtur fuisse sententiâ, ut Philosophum crederet voluisse hoc loco investigare, quomodo, & quæ anima sit à corpore inseparabilis. Et ideo tum de anima uniuersa, tum de singulis partibus eum egisse; ut intelligeretur, num aliqua sit separabilis. Sed certè manifestum est, aliud fuisse illi propositum, aliudque præstitum; nec eiusmodi quidquam Philosophi verba sapiunt.

Albertus, S. Thom. & Latinorum plerique demonstrari maluerunt definitionem hæcenus expositam. Ita verò demonstrari. Anima est id, quo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus primò: ergo anima est actus primus corporis &c. Alexander quoque in secundo lib. Natural. quæst. cap. 25. eum dixit voluisse probare id, quod antea definiendo acceperat, animam esse formam; idque demonstrasse per causam. Etenim causa, cur anima sit forma, est; quia principium est, propter quod animata dicuntur vivere, sentire, moveri, aut intelligere.

Philoponus Aristotelem dixit animam antea entelechiam appellasse; nunc docere, quomodo sit entelechia, & quomodo corpus perficiat vnaquæque partium ipsius animæ: quomodo inquam plantalis, quomodo sentiens, aut intelligens: & cuius vnaquæque illarum sit entelechia, hocque de singulis animabus agendo.

Magis probo interpretationem Simplicij, atque Averrois; post expositam generalem animæ definitionem, quæ figuralis erat & confusa, investigari aliam magis specialem & cuiusque

